JERSINI
ORATIONES

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

1,- 511

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 02073 1

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Generoso Dno Palæmoni
Rosecrantzio, Dn. de Glim-
minge, fautori suo
magno
H. A.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

# Orationes duæ Academicæ.

*PRIOR*

# LUTHERUS THAUMATURGUS

*ſeu*

De miraculis Lutheri in gratiam Jeſuitarum.

*POSTERIOR*

# ANT-IRENICUM,

RUPTÆ CRIMEN CONCORdiæ Chriſtianæ à γνησίως Aug. Confeſsionis Theologis in ipſos modernos retorquens IRENICOS.

*Habitæ*

in

*Academiâ Regiâ Haunienſi*

*Anno 1621.*

à

*JANO DIONYSIO JERSINO, P.P.*

*HAFNIÆ,*

Typis SALOMONIS SARTORII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*Generoſæ & verè heroicæ indolis*

PUERO

# CHRISTIANO ULDERICO
# Gylden Løwe/

Diſcipulo meo probiſsimo & dilectiſs.

V*Etus eſt Apoſtoli verbum, Generoſe Chriſtiane, noſtris temporibus nimis comprobatum,* Judæi ſignum petunt, Græci ſapientiam quærunt. *Quid enim Jeſuitæ hodie, niſi ſigna ſigna, miracula miracula crepant. Non illis ſufficiunt* θεόπνευστα *monumenta, ſed miraculis probandum eſt, Lucem Lucem & non tenebras, tenebras tenebras & non Lucem in ſcripturâ ſignificare. Hi igitur* Judæi *ſunt* noſtrates. *Calviniani quibus tum demum ſapienter ſonant oracula divina, cum humanis conformata ſunt ratiocinationibus,* Græci *ſunt* hodierni. *At quid inquit ſcriptura? Illis!* Generatio adultera ſignum petit. *His!* Infatuavit Deus ſapientiam hujus ſeculi. *Nobis vero!* Ad Legem & teſtimonium: *hæc enim verè nos* σοφίσαι *ad ſalutem poſſunt. De quibus, quia ita per Dei gratiam nunc es inſtitutus, ut ſcias ſoli te divinitus inſpiratæ ſcripturæ* extra miracula, ratione captivatâ *reverentiam & obſequium fidei debere; & verò hæ orationes, contra* Judæos illos & Græcos, *etiam ex parte in eo genere informare te & confirmare amplius poſſunt, non dubitavi eaſdem tibi conſecrare, non tàm meum in te affectum, quàm tuum in religionis ſinceritate ſtudium teſtaturus. Macte generoſe puer pietate iſtâ, macte heroicâ iſtâ indole, quâ nunc multorum in te oculos convertiſti: macte tu inquam, cætera Deo curæ ſunto; is providebit. A quo cum hoc novo anno novum tibi benedictionis incrementum ex animo voveo. Vale, ex Muſæo noſtro prid. Kal. Januar. CIↃ IↃC XXII.*

Stud. tuis devotiſs.

*Janus Dionyſius Jerſinus.*

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

MAgnifice Domine Rector, Profeſſores & quotquot adeſtis viri omnium ordinum excellentiſsimi, ſtudioſi pietatis, virtutis & eruditionis ſtudioſiſsimi, Niſi vetus & laudabilis academiæ noſtræ conſuetudo, & officij mei ratio, hanc meam in hoc loco præſentiam excuſarent, certè neq; rectè eos auditorio conſuluiſſe, quorum eſt dicendi partes imponere, neq; meum factum à temeritatis notâ vindicari poſſe, vos ipſi puto univerſi & ſinguli judicaretis.

Etenim ſive diei præſentis feſtivitatem, ſive anni currentis rationem, ſive ipſas dicendi cauſas intueamur, utiq; quotquot eſtis, mecum fateri neceſſum habetis, hunc ſermonem Panegyricum nemini fuiſſe committendum, niſi cui & inveniendi novitas amabilitatem, & dicendi elegantia attentionem, & officij dignitas authoritatem conciliaret.

Ut enim ipſum primo loco diem conſiderandum vobis proponam, hic eſt Kalendæ illæ Novemb. quas meritò

 En-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Encæniorum Chriſtiano-
rum titulo celebramus.
*Noſtis enim hoc ipſo die per divinum beati Lutheri miniſterium Academiarum & templorum Chriſtiani populi repurgationem, & novam q. dedicationem cepiſſe initium. Quemadmodum enim hoc ipſo menſe, qui Hebræis eſt Kislev, ab horrendis Ethnicorum prophanationibus templum Hieroſolymitanum procurante Judâ Macchabæo repurgatum eſt, in cujus divini monumentum beneficij, viceſimum quintum menſis annuâ feſtivitate celebrem eſſe voluit Eccleſia Judaica. Ita certè his ipſis Kalendis, Academiæ & eccleſiæ Chriſtianæ à deteſtandis doctrinæ Antichriſtianæ corruptelis, quæ nihilo impietate Ethnicis inferiores erant prophanationibus, per organum illud divinum ſunt vindicatæ. Cujus clementiæ & ſalutis divinæ annuam, ad ſuſcitandam gratiarum actionem, recordationem, ſolenniter eccleſia noſtra Chriſtiana, pro ſua devotione celebrari voluit.*

2. *Annum ſi attenderimus, habet & ille ſua peculiaria quæ minimè oblivioni ſunt tradenda. Nam hic ipſe fuit ſuperioris ſeculi annus, quo periculoſiſſimas machinationes, inſidias callidiſſimas, oppugnationes violentiſſimas. q. in ipsâ adhuc*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*huc herbâ Religio hæc Chriſtiana eſt experta: adverſus quas, quod inviolata ſteterit, & hodie perſiſtat, inter ea meritò numeramus, quæ omnem ingenij humani captum, omnem humanæ ſapientæ & prudentiæ ambitum, omnem deniq; ſecularis brachij potentiam, infinitis poſt ſe relinqunt paraſangis. Hoc enim ipſo inquam anno ſuperioris ſeculi, nempe viceſimo primo, comitia prima Caroli V. Vormatiæ ſunt habita, quæ frequentiâ principum, Legatorum, Eccleſiaſticorum, comitum, Baronum, civitatum, & Nobilitatis celeberrima fuerunt:* omnibus idem animus, omnibus idem ſtudium, paucis admodum exceptis, quibus vix mutire integrum, Lutherum cum ſuâ doctrinâ opprimere. *Quippe fulmine anathematis pontificij ſuperiore anno percuſſus, nunc majeſtate Cæſareâ, authoritate totius imperij Romani, minis promiſcuè & bladimentis omnium ordinum ad defectionem ſolicitatur;* Unicus 1521.

cus inter tantos, miſerrimus inter potentiſsimos, monachus inter principes, deſertus inter inſtructiſsimos, uno verbo, agnus inter lupos comparet. *Libri cremantur, ſpretâ ſalvi conductus authoritate, ſuffragia in necem lata, mox proſcriptione Cæſareâ præda omnibus objicitur, libri denuò mandato imperatorio Vulcano conſecrantur, Præmia in caput ejus deſignantur: Et quid non?* Sol & Luna cum omnib. ferè planetis, & notabilis magnitudinis ſtellis, in unius Lutheri perniciem cõſpirant. Et tamen ipſe cum doctrinâ perrũpit, quaſi omnes hos irridens & eludens conat9.

3. *Nunc ſi his addiderimus orandi cauſas, facilè*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

lè animadvertetis alij hoc dicendi munus fuiſſe commendandum. Nam quid aliud effectum vultis, quàm ut commemorato nunc mirando Dei in eccleſiâ conſervandâ beneficio, animi auditorum in Evangelij puritate aſſerendâ confirmentur, corda in fiduciâ, adverſus omnes dubitationum tentationes de veritate doctrinæ roborentur, & omnes motûs noſtri ad gratiarum actionem & obedientiam Evangelij ſuſcitentur: ad quam rem efficiendam ſatis perſpicitis requiri eum, quem præter dicendi gravitatem ipſa etiam perſonæ dignitas & authoritas auditorio commendaret. Quanvis enim fieri poſsit, ut quandoq; olitor ſit oportuna locutus, tamen in ejusmodi re ſeriâ multum intereſt, Davusne loquatur an herus.

Huc accedit quod venerando huic & omni eruditionis genere inſtructiſsimo auditorio novum conveniat argumentum, quod quàm difficile ſit inventu, vos ipſi judicate, qui ſcitis hanc Panegyrin ſolennem ita debere eſſe comparatam, ut quotquot hoc die peroraverunt, ad unum tamen ſcopum orationem dirigere omnes debuerint. Idcircò me non tam ſolicitũ habuit, quod dicturus, quam quid dicturus eſſem: Nam & idem cũ alijs dicere vobis tædiosũ, diverſum a. excogitare, ab eo quod antè habitum, impoſsibile. Igitur Auditores, cum mihi tamen dicendũ eſſet, cogitavi fullones imitari, qui attritas veſtes interpolare, ut novitatis fuco di-

co di-

*co divendant, conſueverunt, atq; ita ut Plautinus ait Mercurius, veterem - antiquam rem novam ad vos proferre. Rem antiquã inquam, ſed novo titulo fucatam.* Dicturus enim ſum de miraculis Lutheri noſtri. *Specioſum quidem argumentum, ſi ſpecioſam inveniat orationem, quam ſi à me expectatis, auditores, neceſſum eſt majorem benevolentiæ veſtræ, quam ſermonis mei habeatis rationem, quod â veſtrâ humanitate & excellentiâ ſuperſtitioſius petere, veſtrum in hoc genere jam pridem perſpectum prohibet officium.*

*Quod autem me ad hoc argumenti genus converterim, præter alia moverunt, tum intempeſtivi adverſariorum Jeſuitarum clamores, miracula, miracula à nobis flagitantes, quibus divinam noſtræ doctrinæ veritatem adſtruamus, quibus non demonſtratis veritatis authoritatem toti miniſterio Evangelico detractam clamitant: Tum eorundem impudentiſsima mendacia, quibus b. m. Lutherum onerant, q. infelici admodum ſucceſſu interdum miracula tentaverit; cujus farinæ illud eſt quod Smieglecius Jeſuvita ex Staphylo memorat de Dæmonio, à quo cùm illud ſolicitaretur, Lutherus ferè fuerit* (Smiegl. in nodo Gordio.)

*diſcerptus: Quibus calumnijs nihil agunt aliud, quàm ut miſeræ plebeculæ imponant, ne lucem Evangelij admittant? Videntes enim ſe veritate nihil proficere, patris ſui veſtigijs inſiſtentes, mendacijs rem agunt. Quanquam autem non teneamur iniquo iſti poſtulato ſatisfacere, quippe cum doctrina non ſit alia, niſi quæ ab Apoſtolis multis portentis atq; miraculis jam pridem eſt confirmata, cujus ea eſt conditio, ut ei amplius jam revelatæ nolit Deus credi propter miracula, Et præterea etiam Pſeudoprophetæ miracula edere poſſint, & inter Antichriſti notas eadẽ referãtur: imò etiam Pagani ſua jactent prodigia; tamen velut opus ſupererogationis operantes, in gratiam eorum qui ejusmodi prætextu dubiam reddere fidem ſatagunt, miracula quædam dabimus.* Miracula a. Lutheri dico non tam ea quæ ipſe, quam quæ Deus circa eum & ipſius doctrinam luculenta ſuæ voluntatis & miſſionis teſtimonia edidit.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Inter quæ ut tempus, ita locum præoccupent partim vaticinia, partim adverſariæ calamitatis portenta. *Nam cum Deus futurorũ ſoli ſibi præſcientiam conſervet, & providentia ipſius cuncta gubernet, ut omnium rerum eventus in manibus ſit ipſius, nec quicquam vel Angeli boni, vel Diaboli ipſo non permittente, & exitum moderante, vel portendere, vel efficere valeant, utiq; certum eſt futurorum vaticinia, iisq; correſpondentes ſuo tempore eventûs, quæ eccleſiæ ipſius reſtaurationem & conſervationem reſpiciunt, & hoſtibus ipſius interitum prænunciant, non poſſe non infallibilia divinæ voluntatis & operationis præſentiſſimæ* τεκμήρια *eſſe: Quæ ipſa cum omnem naturæ ordinem, omnem Angelorum potentiam excedant, & Dei ſolius ſint operationes, præter rerum ſeriem, miraculoſis effectibus ſunt annumeranda.*

*Ex his illud eſt, quod de Johanne Huſſo conſenſu ſolidiſſimo ſcriptores meminerunt, qui cum jam martyrium aggreſſurus eſſet, & in pyram conjiciendus, ad prælatos converſus qui aderant,*

cen-

centum, *inquit* annis revolutis Deo & mihi reſpondebitis: *Factum eſt anno 1415. Cujus rei teſtis eſt moneta in Ungariâ cuſa, cum eâdem in anticâ facie inſcriptione. Et mox divino afflatus ſpiritu, videns Deum non ita deſerturum eccleſiam ſuam, ſed eam tamen prævalituram etiam ipſis infernalibus portis, quæ ibi Conſtantiæ erant, & oſtenſurum luculentâ protectione ſe omnibus hoſtium conatibus ſuperiorem in eâdem aſſerendâ, in hæc prorupit verba:* Anſerem vos jam aſſatis, (*alluſio eſt ad nomen Huſs.*) ſed veniet vobis cygnus, qui aliquantò melius vobis invitis, cantabit, quem tamen aſſare non valebitis. *Et nonne eventus reſpondit? Nam elapſo iſto ſeculo, Lutherus apertè Huſſum coram Cæſare & Principibus in Vormatienſibus comitijs Anno 1521. vindicavit. Conſilium erraviſſe, injuriam Huſſo factam, maganimo ſpiritu teſtatus eſt. Hic*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*certè reddiderunt Huſſo rationem ſui facti. Et quid quæſo fecerunt Luthero? Quid vero Huſſus egit ſi Luthero comparetur? Certè ipſo teſte, quantum anſeris conatus ad effectum oloris.*

Et tamen ille minoris q. criminis reus crematur, hic q. Panico omnes proſternens terrore, non tangitur. *Neq. hic prætendere poſſunt Lutherum alijs quam Huſſum munitum præſidijs: de humanis loquor. Nam non minꝰ hic quam ille in comitiis totius imperij comparuit, rationem fidei æquè intrepidè edidit: ſolo ſalvo conductu ut ille fretus: Imò quod plus eſt, anathemate percuſſus, combuſtis libris, latâ in ſe ſententiâ venit, comparuit, perſtitit, abijt, ad ſuos ſalvus redijt. Sed de his infra. Hanc prædictionem cum ſuo complemento, qui miraculorum numero exemptam vult, expungat eâdem operâ neceſſe eſt è miraculorum tabulis, quæ de Cyro vaticinatus eſt Eſaias, & quæ de Joſia rege vir Domini, mactaturo ſacerdotes, & crematuro oſſa hominum ſuper altare in Bethel, quæ prophetia annis 333. nativitatem, complementum verò annis 359. anteceſſit. Ab eo tempore plurimi paſ-*

*ſim*

*ſim divino afflatu reformationem eccleſiæ magno cum voto deſiderantes, eam & prævideerunt & prædixerunt, Ex his unum aut alterum allegabimus.*

*Johannes Keiſersbergius Argentinenſis concionator, qui etiam Babylonicæ dentes beſtiæ eſt expertus, venturum apertè prædicebat quendam divinitus excitatum, qui eccleſiam inſtauret, cujus & ipſe diſcipulus fieri ardenter exoptabat.*

*Andreas Proles Auguſtinianorum prior, qui poſtea excommunicatus eſt in concilio Lateranenſi: Hic ille eſt, auditores, qui conſpectâ imagine Johannis Zachariæ cum roſâ ad mitram appictâ, ajebat ſe iſtius roſæ honore minimè lætaturum, (Erat n. ea roſa, ei q. inſigne Sycophanticæ ſuæ victoriæ ex loco Ezech. 34. v. 10. de Johanne Huſſo, tributa in concilio Conſtantienſi) Is, inquam, Andreas Proles in prælectionibus Lipſiæ adverſus merita humana gratiam Dei extollens,* Forti & magnâ, *exclamat,* reformatione ô fratres res Chriſtiana opus habet, *quam, & propè inſtare quod videret non diſsimulavit. Quærentibus a. fratribus, cur non ipſe eam aggrederetur reformationem, & ejusmodi ſe opponeret errori-*

Ego viſitabo paſtores meos. Vid. Luth. tom. 12. Wit. p. 282.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*roribus, ætatem ſuam utpote jam grandævus, item infirmitatem corporis, virium debilitatem, nec non inopiam doctrinæ, induſtriæ & eloquentiæ defectũ, qualia tantum opus exigit, cauſatus,* Excitabit, *inquit,* Dominus Heroëm, ætate, viribus, induſtriâ, doctrinâ, ingenio & Eloquentiâ præſtantẽ, qui reformationem incipiet, erroribusque ſe opponet: *Et addit,* Ei Deus animum dabit, ut Magnatib. contradicere auſit, *& ipſius miniſterium ſalutare Dei beneficio comperietis. Quid deſideratis in Luthero noſtro, ad hujus vaticinij complementum? Quodſi n. magnatibus quisquam ſe opponere auſus, certè hic ipſe eſt, teſtantibus omnibus ipſius ſcriptis adverſus Papam, Epiſcopos, Cæſarem, Regem Angliæ, Georgium Saxonem, &c. de quibus inferius.*

*Huic ſuccedat Johannes Hilten Iſnacenſis, qui & pro-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*& propterea̓ in carcerem conjectus eſt, quod monaſticos abuſûs cenſoriâ ſuâ tangere virgulâ præſumpſerit. In eo hoc ſingulare eſt, quod etiam annum ipſum q. digito monſtravit, quo reformatio inciperet. Ingraveſcente n. morbo Gardianum appellat, dicens ſe quidem parum aut nihil adverſus Monachatum docuiſſe,* ſed venturum anno 1516. qui ſit Monachos everſurus, cui plane repugnare nequeant.

*Deus bone, nonne hæc humanam ſuperant divinationem: Is n. annus q. paraſceve, feliciſſimæ eccleſiæ, adverſariys infauſtiſſimæ, fuit reformationis. Quid hîc deſideratis, auditores?* Monachos everſurus eſt, inquit Hilten: Teſtis eſt Germania, Britannia, Gallia, Dania, Suecia, Norvegia. Cui repugnare nequeant, inquit Hilten; Tota

ferè

ferè Europa Eventum comprobavit. *Plura quæ huc referri poſſunt, de ſupprimendis ſcholaſticis, & emerſuro Paulo obvia ſunt in Catalogo teſtium veritatis & Myſterio iniquitatis Mornæi.*

Nunc portenta calamitatem tantam Babylonicæ tyrannidi denunciantia videamus. *Quare enim authoritas etiam ipſis miraculoſa ſit adſcribenda, modo monuimus: Cum autem eventum videmus, magis miramur & credimus. Duo præcipuè annotavit Mornæus, quæ dicit ex ipſis coætaneis petita ſcriptoribus. Prius eſt. Sub Alexandro VI. Angelus qui in ſummo arcis S. Angeli faſtigio, q. tutor & averruncus conſtitit, fulmine proturbatur. Poſterius; Quo die Leo X. Cardinales triginta unum ad ſui imperij ſecuritatem creavit, in ipſo templo, ubi tam ſanctum opus peragitur, oborta repentina tempeſtas, claves è manib. Imaginis S. Petri excuſſit: Eodem ferè puncto, inquit Mornæus, quo Lutherus in Papam, Jovem iſtum fulminatorem, detonare auſus eſt & fulminare.*

*Quid*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*Quid hæc aliud quam ſigna judicij divini, Angelũ Papatus Abaddon, brevi proſternendum, & claves tyrannicas è fictitiorũ Petri ſucceſſorũ manibus excuſſum iri: Idq; non ferro, igne, rotâ, aquâ, ſed fulmine & tempeſtate divini verbi, quod omnes hominum machinationes funditus demolitur, & ſpiritu oris Dei, quo confectum iri filium illum perditionis jam dudum prædixit Apoſtolus Paulus. Huc pertinent Papa-Aſinus Tyberinus, Moſcho-monachus Friburgenſis de quibus Tom. 9. VVit: Item ſpectrum Spirenſe, de quo Hiſt. Aug. Confeß. Chytræi.*

*Hæc ideo recito, ut & divinitus excitatum ad ſuum miniſterium Lutherum, & miraculis idipſum non caruiſſe, in quod & vaticiniorum & prodigiorum eventus infallibili veritate conſpirent, agnoſcatis.*

Proferant nobis nunc Papicolæ ex ſuis pontificibus, vel ex ſuorum ſectariorum anteſignanis quemquam, cujus vocationi & miniſterio tam præclaro vaticiniorum miraculo, & evẽtuum certi-

tudine fidem faciant. *Niſi fortè Bonifacium cum ſuâ arundine nobis obtrudent, aut Johannem Chryſoſtomum cum vaticinio animæ purgandæ; Aut etiam Hildebrandi Papæ prædictionem de interituro falſo rege: Quam quidem ille de Henrico tertio imperatore, intellectam, Deus a. in Rudolpho ſeditioſo & perjuro complendam voluit. Niſi fortè magis placeat in idolo ſuo Romano vaticinia de Antichriſto completa demonſtrare.*

*Verum his miſſis, jam ipſum Lutherum aggrediamur, & quid in ipſo miraculorum ſe offerat videamus.*

I. *PRIMUM hoc eſto,* Miſer Monachus univerſum aggreditur, reformat & evertit Papatum. *Sed id leve vobis videtur, quia pauca ſunt verba. Quod ſi a. Papatus potentiam, firmitatem, præſidia; & Monachi miſerrimas conditiones, impotentiam, deſpectum, ſolitudinem conſideraveritis, miraculum demum perſpicietis. Non n. imaginari vobis debetis Pontificis potentiam rem leviculam, quæ levi queat momento, oppugnari, concuti & expugnari: Sed eam vobis ante oculos potentiam & majeſtatem ponite, quâ major nunc non eſt in toto terrarum orbe, quam omnes Europæ Monarchæ cum*

tremo-

*tremore formidaverunt. Eo n. tempore,terricula-
mentis bruti fulminis, & mentitæ Apoſtolicæ au-
thoritatis fraude,& fictâ vicariatûs Chriſti maje-
ſtate, omnes non plebejos dico, ſed nobiles, barones,
comites,principes, Reges, imperatores, & quicquid
nominari excellens poteſt, mancipatos, imò ipſas o-
mnium hominum conſcientias ita ſibi habebat Pon-
tifex obnoxias,ut prius cœlum ruere,& terram hi-
ſcere, quam tantam labefactari majeſtatem poſſi-
bile videretur. Reges & imperatores ad oſcula pe-
dum ſubmittebantur,humeros geſtatorio ſuppone-
bant, Et quid non? pedib. Pontificiæ abominationis
conculcabantur, ut nemini eorum, quibus poteſtas
in manu,hiſcere aut mutire integrum fuerit.Omnis
igitur & eccleſiaſtica & politica poteſtas in unum
Papatum confluxerat. Ab unâ parte terrorem in-
cutiebat clavis Petri, ab alterâ tremorem fulmina-
bat gladius Pauli. Quod ſi n quisquam Eccleſia-
ſticam contemnere temerarius præſumeret autho-
ritatem, mox velut ad nutum Dei, in armis erant
omnes creaturæ, frater in fratrem,filius in patrem,
ſubditi in principes, principes in imperatores cœco
q. impetu ruebant: Proximus ille Deo, qui omni
pietatis vinculo rupto, omni juramenti religione
ſpretâ,omni ſanguinis affinitate poſthabitâ,Roma-
no tyranno obtemperaret.* Æquum an



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

iniquum, paucisſimi quære-
bant, Papa jubet, Papa vult,
Fas æquum, juſtum, piũ eſt.

» *Miniſtrabant ergo ommnes poteſtates Pontifici, imò terra, aqua, ignis, juſſa ipſius proſcriptionibus, ſubmerſionibus, cremationibus exequebantur. Et quid multis? tanquam omnipotens carnifex omnibus tormenti generibus inſtructiſſimus, omnium cervicibus præſentiſſimus imminebat. Teſtantur hiſtoriæ multorum retròſeculorum, in omnibus Europæ nationibus. Hinc cogitate:*

*Quantæ molis erat Romanam tollere molem.*

*Et tamen tanta poteſtas, tam tremenda majeſtas, tam formidabilis ſanctitas, tam terribiliter magnus Dominus & laudabilis nihil, ab unico miſello cucullato monacho impetitur,* &veluti creator à ſuâ creaturâ cœlo ſuo deturbatur. *Quid v. Monachus ad tantæ dignitatis faſtigium? Certè ſi rationem ſanam conſulemus, quantũ muſca ad Elephantum, vel ſi quid minus dici poteſt. Non n finges tibi Monachum Epiſcopali authoritate inſignem, vel familiæ ſplendore & opulentiâ potentem, aut amicorũ, clientum & ſociorum ejusdem opinionis multitudine ſuperbũ, & formida-*

*midabiliter ſtipatum: ſed monachum tantum, humili loco natum, humilibus parentibus obſcurum, opum affluentiâ ignobilem, amicorũ & patronorum ope deſtitutum, uno nomine, ſolitarium, Priori ſuo, Epiſcopo, poteſtatibus omnibus ſubjectum & preſſum, tantum, tàm arduum, tàm tremendum opus incepiſſe, perfeciſſe: Quibus vero armis tantam rem?*

Muri Jerichuntis ad clangorem tubarum evertũtur: Muri Babylonis ad vocem Monachi fundamentis ſuis evelluntur. *Vocis exilitas pro horrendo tormentorum ſonitu, pro gladijs micantibus, & bipennibus acutis ſunt calami, armorum fulgentium vicem, ex attrito & abjecto lino chartæ ſupplent, ignium miſſilium violentiam atramentum ſubminiſtrat ſcriptorium. Et tamen his rebus tantum efficitur brevi tempore, quantum omnis humana prudentia & potentia ejuraſſet. Quot monaſteria evacuantur, quot altaria Idolatrica deſeruntur, quot præſidia Pontificia deficiunt, quot muri dejiciuntur, quantæ annatæ pereunt per nobiliſsimas & ampliſſimas Europæ provincias, quot pallia Epiſcopalia Romæ putreſcunt, &c?*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*Nec tantum in Eccleſiaſtico regimine ejusmodi mutatio, ſed ecce quot principes ſuam recipiunt authoritatem, quot jugum tyrannicæ ſervitutis excutiunt, ut dicere non verear, etiam* ſummos mundi monarchas ad unius Monachi vocē reformatos.

*Quod ipſum ſi negare impudenter adverſarij velint (quippe qui hanc laudem Luthero tributam nolint, quod is abjectus monachus reformationi tantæ initium dederit, ut patet ex verbis Doctoris Fabri quæ meminit Lutherus tom 9. VVit. cōtra tenebrionem Dreſdenſ.) videant illi Epiſtolam Adriani VI. ad proceres Germaniæ in comitiis Noribergenſibus quæ extat tom. 9. VVit. ubi hortatur princi-*
" *pes graviſſimis verbis, ne patiantur hanc ſuis celſi-*
" *tudinibus & famæ ſplendorib. notam inuri, unicum*
" *Monachum eos à Romanâ ſuâ, in quâ ipſi nati & e-*
" *ducati, parentes & majores mortui, &c. Eccleſiâ*
" *ſeduxiſſe.*

*Quæ ipſa res etiam huic ipſi Lutheri facto majorem miraculi conciliat authoritatem. Nam cum nulla res magis animos hominum permoveat, quam Religio, in quâ certè ſemper antiquitas veneranda habita, teſtibus etiam Ethnicorum ſuperſtitionibus, novitas v. ſuſpecta & odioſa, Equidem mi-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*raculo non caret, ad unius Monachi conciones & ſcripta, ampliſsimas provincias & potentiſsima regna tam ſubitò ab impietate & idolatriâ Romanâ reſipuiſſe, (cùm tamen homines idolatriæ tenaciores ſuâ naturâ ſint quam veræ Religionis) quæ omnia regna præſidijs pontificiæ abominationis erant refertiſsima & occupatiſsima. Ecquis n. in ijs angulus ab his angelis, monachos puto, tanquam ſatellitibus pontificiæ dominationis immunis?*

*Et quod majus eſt, cum concilium proximum Conſtantienſe, quod ex omnibus Germaniæ ordinibus erat nobiliſsimum & frequentiſsimum, cujus adhuc memoria recens & ſancta erat; cum inquam idipſum ſugillare & hæreſeos condemnare non dubitaverit, etiam coram ipſo Cæſare & principibus, quantam animorum exacerbationem hinc fuiſſe ortam creditis. Contemnere enim videbatur non modo principes iſtius ſeculi, ſed omnium doctorum exiſtimationem convellere, q. ipſe ſolus ſapiat, reliqui ſint fungi, & volitent velut umbræ. Quod non diſsimulatur, ſed vehentiſsimè in literis Pontificijs; & proſcriptione Cæſareâ exaggeratur. Quas n. putatis tum ſubiiſſe cogitationes? Num ergo omnes illis retro ſeculis perierunt? Num omnes cœci? Num patres & majores noſtri omnes damnati? Num nullus ſapientiæ & doctrinæ laude illis ætatibus, cum hoc monacho concertare quiverit? & ejuſmodi,*

*quæ*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*quæ maximum ad retundendum miſerum Lutherum, & Papatum confirmandum obtinebant momentum: Qualibus argumentis graviſſimè amplificatis plena eſt præmemorata epiſtola Adriani VI. item Formula Mandatorum legato ad comitia Noribergenſia profecto præſcripta, tum proſcriptio Cæſarea, quæ omnia leguntur Tom. 9. VVit.*

*Hæc perpendite Pontificiæ doctrinæ & Monachatus præſidia, & tunc demum miraculum erit, Papatus à Luthero everſus.*

„ *Ecce enim Monachus unus, nullius authorita-*
„ *tis, omni auxilio humano deſtitutus, principib. ſuis*
„ *odioſus, doctiſſimorum cavillis exceptus, coronam*
„ *Papæ convellit, conciliorum religionem contemnit,*
„ *principib. diademata reſtituit, & plures Monacho-*
„ *rum catervas ex Germaniæ, Britanniæ, Galliæ &*
„ *ſeptentrionalium regnorum oris è nidis ſuis pro-*
„ *turbat, quam ipſe in corpore pilos geſtat* Hoc certè eſt virtutem Dei in infirmitate perfici: *Ubi enim humana deſunt præſidia, ibi operatio intelligitur divina.*

*Proindè qui nihil hic miraculi concedit, hunc ſuâ ſe ſtupiditate miraculum toti mundo dare exiſtimo. Quodſi a. quis plura deſideraverit ad fidem faciendam, hunc velim mecum paucis perpendat Heroicum Eliæ opus, ſacerdotes mactantis Baaliti-*

*cos,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*coſ. Proponat a. ſibi rem totam. q. ob oculos: Elias è toto regno Iſraëlitico bannitus, odio, & perſecutione acerbiſſimâ regis & Reginæ divexatus, totius populi & Baalitici collegij furoribus expoſitus, in medio hoſtium comparet. Ab unâ parte eſt Achabſatellitio ſuo & aulico ſtipatus comitatu, ab alterâ ſunt præter lucorum ſacerdotes quadringenti Baalitici Monachi, qui ſuæ ſanctitatis ſpecie omnium perſtrinxerant oculos, & totius populi animos dementaverant. Circumſiſtunt omnes omnium ordinum in toto Iſraële. Unus inter tot tãtosq́ eſt Elias, ſolus, nemini acceptus; omnibus inviſus; tanquam turbator Iſraëlis, & omnium calamitatum author. Apparantur victimæ, populus aquam affundit, q. conatûs Prophetæ impediturus. At ſacrificium accenditur, q. ignem apportaſſent & oleum. Mox jubet Propheta Baalitas comprehendi, comprehenſos necari. Ecce nunc quanta Metamorphoſis. Unicus Elias, unico* "
*momento, uno ferè verbo totius populi animum im-* "
*mutat, majeſtatem Regis cohibet, & qui pietatis o-* "
*pinione omnium habebantur apud omnes ſanctiſſi-* "
*mi, mox ad unicam Eliæ vocem comprehenduntur,* "
*trucidantur, inſpectante Rege acerrimo ipſorum* "
*propugnatore; nec contra nitente, imò inſtar attoniti, neq́ edicto neq́ auxliio ſe movente.* "

*Adhibeatur in hujus comparationem Luth. Quid* "
*ille? anno 1520. à Leone Decumano omni ſacrorum* "
*& prophanorũ per anathema odio & perſecutioni ex-* "

 *poſi-*

„poſitus,eodem quo libri ſui ſupplicio condemnatus,a-
„micis diſſuadentibus, inimicis non expectantibus,
„nemini amicus, omnibus ordinibus inviſus, ab unâ
„parte majeſtate Cæſaris,ab alterâ fulmine Pontifi-
„cis,à tertiâ principum invidiâ,à quartâ Baalitarum
„ calumniis territ9,ictus,preſſus,oppreſſus,& tandem
„ totius plebis,per Baaliticæ Religionis impoſturas ef-
„faſcinatæ furori expoſitus & injectus, unicus, ver-
„bo,ſine ulla vi ſeculari, omnia ejusmodi terricula-
„menta,q. fulmine proſternit, & inſpectante Cæſare
„cum principib.attonito pontifice,cum Epiſcopis,ani-
„mos hominum ita percellit, ut, quantò Papatui aſſe-
„rendo fuerant devotiores,tantò nunc eidem deſtru-
„endo reddantur animoſiores, ut ita non modo qua-
„dringentos, ſed plures quam quadringenties qua-
„dringentos ventres Baaliticos,omnipotentiâ Ponti-
„ficiâ,majeſtate Cæſareâ,potentiâ principum,religio-
„nis ſplendore ſanctiſſimos & inviolabiles,nullo ne-
gotio confecerit. Noſtis n. auditores ab iſtis Vor-
matienſibus comitijs, quantam paſſa ſit hæc ſeges
calamitatem Dixeris Chriſtum hic ſuâ ſcuticâ ven-
dentes & ementes è templo ſuo ejeciſſe, nemine ſe ei
opponente,vel reſiſtente. In hoc tamen diſſimilitu-
do eſt Eliæ & Lutheri, quòd Eliæ ignis cælitus dela-
pſus authoritatem conciliavit: Lutherus autem ſi-
ne ullo viſibili prodigio non minùs arduum opus ef-
fecit. Qui hîc negaverit Deum cooperatum, &
miraculo factum clareſcere, is deliberet an idem

aſſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*aſſerere velit de Eliâ, & non deerit nobis quod re-ſpondeamus.*

*Quorum igitur animos odium divinæ veritatis non occupavit, miraculum agnoſcunt. Nec n. eſt quòd quisquam hîc authoritatem Friderici Electoris prætexat: nam quantum ipſe hîc trepidaverit, patet cum ex Pathmo Lutheri, tum ipſius ad Electorem literis, cum jam ex eâ emergere cogitaret. Legantur Tom. 9. VVit. cum Epiſtolis Electoris ad Scurffium. Nec multum momenti in eo ſitum eſt, ad enervandam miraculi hujus authoritatem, quod eſt in literis Henrici Angli ad Fridericum Electorem, & Johannem fratres, nihil mirum eſſe per unum hominem tantam mutationem invehi, cum ex duobus profligatiſsimis nebulonibus totum imperium Turcicum ſurrexerit. Diſpar enim eſt ratio:* Illi ferro & præſtigijs Diabolicis, hic Evangelij voce viam invenit. *Sed de hoc ſatis.*

*SECUNDUM igitur miraculum eſto:* Doctrina Lutheri ſine vi adverſus vim propagatur, in colluvione hæreticorum integra II.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

conſervatur, in oppugnatione & perſecutione hoſtium ſine humanis adminiculis inconcuſſâ defenditur.

*Papatum everſum miraculum eſſe diximus, doctrinam Lutheri propagatam ſimiliter miraculum dicemus, Quippe quam non modo Pontificis potentia, Cæſaris majeſtas, & Religionis, ſeu potius ſuperſtitionis antiquitas impediverũt, ſed etiam omnium iſtius ſeculi doctrinæ exiſtimatione clariſſimorum hominum judicium & cenſura improbaverunt. Quis enim non miretur creditum eſſe huic doctrinæ, quam præſtantiſſimæ totius Europæ Academiæ, Viennenſis, Colonienſis, Lovanienſis, Pariſienſis ad tartara relegârunt, & q indignam quam ſol aſpiceret perpetuis flammis deſtinaverunt? Quid enim reliquum eſt, niſi ut canticum Phariſaicum populo accinatur:* Num quis ex Pharifæis adhæret illi? *Num quis ex doctoribus, Magiſtris, Abbatibus, prælatis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, iſtius monachi doctrinam recipit? Quanta hæc fuerit remora docti intelligunt: Et tamen doctrina propagatur: quæ propagatio eò eſt miraculoſior quo adverſa molimina ſunt fortiora,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*ra. Prætereo hîc graviſſimas quibus onerata eſt calumnias, quaſi ſine omnibus legibus, ſine omni humanitate, in promiſcuis libidinibus & ejusmodi beſtialem & Cyclopicam vitam noſtrates agerent.*

Sed & doctrinæ integritatem ſartam tectamq; & puritatem ipſius inviolatam perſtitiſſe in tantâ diabolicarum impoſturarum & hæreſium fœcunditate & inſolentiâ, num miraculo carere exiſtimabimus? *A quibus certè plus fuit doctrinæ periculi, quam à gladio vel Pontificis vel Cæſaris: In his ſiquidem pugna adverſus carnem, in illis adverſus ſpiritûs nequitiæ & principes tenebrarum. Nam cum omnia miſerrimâ apparerent facie, Luthero propter bannum Romanum & Imperiale in Pathmo deliteſcente, ecce de repente ſurgit Caroloſtadius, & ſuo præpoſtero Iconolaſtico Zelo omnia perturbat, novâ inſuper ſacramentariâ invectâ calumniâ. Dum his obviam itur, ecce in ſcenam prodit ſeditioſus Muntzerus An. 1524. & totam*

*Germaniam in arma conjicit. Succedunt Suencofeldiani & Sacramentarij Helvetici, qui Luthero non leve faceſſerunt negotium. Nec his peſtibus ſatis eſt, niſi Diabolus ipſe ſub perſona Anabaptiſtarum prodiens tragædiam excitet Monaſterienſem; quibus ſuccenturiantur Antinomi: Quo eodem tempore etiam Fanatici Spiritus Antverpiæ ſe produnt, & omnia Enthuſiaſtis plena ſunt ut patet ex Tom. 2. VVit. Quos omnes magnanimo Ev-*
„ *angelij ſpiritu Lutherus conficit. Inter tot ac tantas*
„ *Evangelij corruptelas & inſidias, quis non miretur Evangelij puritatem cuſtoditam? Videbatur diabolus q. agmine facto, ruptis carceribus infernalibus, omnes ſuas adverſus religionem copias eduxiſſe: Nam hoc agebat, ut aut Evangelij veritatem peſſum daret, aut ſi hoc non ſuccederet, ſaltem ſuſpectam eam redderet, & calumnioſè traduceret, q. tantarum fanaticarum opinionum & corruptelarum unicam ſcaturiginem. Nec eum conatus fefellit. Nam plurima offendicula per hos ſectarios invecta eſſe, ex ſcriptis Lutheri manifeſtum eſt. Et nihilo minus Evangelium velut gladius anceps perrumpit, nec labem ex tanta affricat contagione & colluvie.*

*Quid v. dicemus de eo, quod* doctrina ſine ferro adverſus ferrum,

in

in impotentia adverſus potentiam defenditur? *Heic omninò „ exiſtimo divinâ gubernante providentiâ factum eſ-" ſe, quicquid ſit de politicis conſultationibus & deli-" berationibus, quod Fridericus Elector dignitatem" imperij recuſatam, ſuo ſuffragio in Carolum Au-" ſtriacum contulerit. Quod ſi ad Cæſaream eve-" ctus ipſe fuiſſet eminentiā, videri potuiſſet humanis" præſidiis Evangelium revixiſſe: Nunc v. cum & ipſe" q. unicus veræ eccleſiæ tum nutricius, hoc potentiæ" faſtigium rejecerit, & inſuper in adverſariæ partis" acerrimum vindicem & potentiſſimum propugna-" torem, & q.* Salvatorem unicum" *contulerit, utiq; quicquid actum eſt divinæ in ſolidum potenti operationi acceptum eſt ferendum: Et ſi vel maximè in Electore aliquid humani poſitum fuiſſet præſidij, quod ſanè quam perpuſillum & planè nihil fuerit, ex ſupra dictis patet, tamen id totum anno 25 cum ipſo exſpiravit. Succedit quidem Joannes frater Friderici, in cujus Electoratu jam quidem res ad bellum ſpectabat, quod quantâ contentione diſſuaſerit Lutherus, patet ex trib. epiſtolis Tom. 9. VVit. inſertis. Sed & hic moritur anno 32. Nec tamen religio moritur. Spes reliqua eſt in Johanne Friderico, ſed quam fallax, quam nulla eventus comprobavit. Is enim cum Landgravio eodem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*dem quo Lutherus moritur, anno nempe 46. in poteſtatem Cæſaris captivus redigitur. Hic igitur*
*„conclamatum eſſe videtur. Columnæ enim q. Re-*
*„ligionis Elector, Landgravius, Lutherus jam tunc*
*„conciderant: Omnia erant in manu Cæſaris: Ubi*
*„nunc humana conſilia, ubi auxilia: Et tamen ita*
*„doctrina conſervatur, ut non modo nulla in ſubdi-*
*„tos propter religionem à Cæſare permittatur perſe-*
*„cutio, ſed etiam nihil in ipsâ mutetur. Hic verè dicas Deum ipſum verbi ſui aſſeruiſſe authoritatem, hîc videas cor Regis in manu Dei eſſe. Nunquam expeditior ratio doctrinam exſtirpandi, & nunquam minus in eo actum, quam hoc ipſo tempore.*

Dent mihi ſimile exemplum adverſarij, ubi ſine vi, in mediâ vi, contra vim doctrina eſt aſſerta. *De ſuâ hoc non poſſunt profiteri; nam jam pridem omnibus notũ eſt partim præſtigiis, partim armis eam cepiſſe, creviſſe, & hodie quantum eſt, ſtare. Ariana quidem hæreſis diu eccleſiam afflixit, ſed quot imperatorum ea gaudebat potentiâ & propugnatione, Eccleſiaſtica teſtatur hiſto-*
*„ria. Hic ergo verè comprobatum eſt, & eventum*
*„ſortitum Lutheri vaticinium, qui Vormatiæ reſpon-*
*„dit ex Act. 5. Conſilium hoc ſi non ex Deo eſt brevi*
*diſſol-*

*diſſolvendum, imò intra biennium : ſin ex Deo, fru- » ſtra homines contra moliri. Qui hîc Deum coope- » ratum eſſe negabit, & miraculi vim labefactare conabitur, eum miraculis ut mihi contrarium perſuadeat, oportet. Pergamus ad tertium Miraculum.*

III. **Lutherus in medio hoſtium vivit ſecurè, & vitā placidè finit,** *Quanti illud ſit miraculi, nemo niſi qui faciem iſtius temporis intuetur, cognoſcit: Supra mentio facta eſt Pontificiæ excommunicationis, cujus atrocitas ex Tom. VII. VVit. apparet, cujus etiam efficaciam ſecundum illa tempora ſupra explicavimus. Huic ſuccedit nullâ periculi ratione inferior Cæſaris proſcriptio. Ibi enim non tantum in Lutherum, ſed in omnes ipſius ſocios, benevolos, tutores, defenſores fulminatur, ſub pœnâ criminis læſæ majeſtatis, aquâ & igni undiquaq; ei interdicitur: Hoſpitij jus, cibationis miſericordia, alloquij humanitas, & omnis deniq; benevolētiæ ſignificatio ei eripitur. E contra omnium violentiæ, injuriæ, comprehenſioni, vinculis atq; inſidiis velut nocentiſſima beſtia objicitur. Nec tantum hoc, ſed etiam omnes ſocij, benevoli, propugnatores iisdem conditionibus ſubjiciuntur. Et ut nihil deſit ad executionem, bona mobilia & immobilia omnium, quotquot ei patro-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*cinari inventi fuerint, tanquam præmia eis, qui* tam ſanctum opus, *ut habet edictum,* effecerint, *permittuntur. Certè non erat hoc interdictum fulmen ex pelvi. Teſtantur tot Germaniæ proceres, qui per illud partim omnibus fortunis everſi, partim carceribus mancipati, partim vitâ deniq; ipsâ ſpoliati. Hîc enim moles totius ſacri Romani imperij in unius interitum conjicitur. Quid hîc Luthero aliud conſolationis accini poterat, quam ex Pſalm. 11. Fuge in montem paſſer: Quia ecce impij direxerunt arcum, & ſagittam nervo apllicârunt; fundamenta ſalutis tuæ defecerunt, & ſimilia. Nam quantum tunc temporis trepidatum fuerit, luculenter oſtendit ſolitudo Lutheri, quem nunc neq; tueri, neq; ſecum ſcire & profiteri Elector clementiſſimus audens, in Pathmum quandam velit in tenebras conjicit, ne vel ipſe Lutherus hoſtium rabiei objiciatur, vel Elector mitiſſimus tam gravis interdicti contemptor deprehendatur. Quid interea fit? Executionem Cæſarei banni novis interdictis proſequuntur, Georgius Saxo, Henricus Brunſvicenſis, Otto Palatinus, qui Epiſcopus Friſingenſis anno ſequente 22. Imò ad comitia Noribergenſia Apoſtolicus ablegatur nuncius idem urgens: Tum ſcriptis literis proceres Germaniæ vehementer in hoc genere compellat Adrianus VI. Nunc ergo omnia furoribus repleta:*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*ta: Et ecce ſtupendam rem, quam omni humano carere conſilio & conatu nemo dubitaverit, niſi mente captus. Omnibus n. ita in unum Lutherum „ fulminantibus, omnib. locis ſecuritate exhauſtis, in „ medium hoſtium ſeſe q. temerarius conjicit, non ſe- „ cus ac Daniel inter ferociſſimos Leones, inſcio imò „ invito ipſo, Electore, & non mediocriter timente; „ quem magnanimo ſpiritu propter ejusmodi puſilla- „ nimitatem vehementer taxat Lutherus in literis, „ cum jam in lucem prodiret, datis. In quibus hoc et- „ iam memorabile valdè eſt, quod ipſum Electoris pa- „ trocinium nunc q. impium ejurat, affirmans majo- „ riſe quam Electorali protectione gaudere, ſe Electo- „ ris potius, quam ſui Electorem fore protectorem. Et quid non? clariſſimis verbis rejicit, averſatur, prohibet omne Electoris patrocinium, imò mandat ne ullâ ratione impediat, ſi quid in ſe ſuamq; vitam tentare fuerunt conati. Teneri n. Electorem ſeſe voluntati & mandato imperatoris ſubjicere, niſi inobedientiæ & contumaciæ adverſus Deum reus haberi velit. Et notatu digniſſimum eſt, quod in eàdem eſt epiſtola: ſi vel maximè Lipſiam ſibi eundum eſſet (erat a. ea civitas Georgio Saxoni acerrimo Lutheri perſequutori ſubjecta) & integros novem dies meros plueret Georgios Saxones, quorum quisq; hunc ipſum novenâ malitiâ ſuperaret, ſe nihilominus civitatem ingreſſurum. Quâ nunc defenſione ſecurus eſt Lutherus? Omnes perſequuntur, omnes*

*Crucifige crucifige ingeminant, unico Electore excepto. Nunc vero & bujus patrocinium averſatur, aſpernatur. Quid igitur nunc obſtat, quo minus rapiatur, vinciatur, abducatur, intereat? Non n. quærit latibula, ſed in publico verſatur, in oculis omnium, & q. in manibus hoſtium concluſus. Non deeſt hoſtibus voluntas, &, humanitus loquendo facultas*
„ *eſt in manu. Num forte circulis magicis circum-*
„ *ſcripta VViteberga, quo minus aditus concederetur?*
„ *Verè iis quibus Dotan, quâ concluſus tenebatur Eli-*
„ *ſæus, cum à Syris cingeretur. Agnoſcite hîc latibu-*
„ *lum altiſſimi, & umbram omnipotentis, adverſarij,*
„ & dicite, digit9 Domini preſ-
„ ſit nos. *Cupis a. ſcire an hoc ipſum ſit miracu-*
„ *lum? Cupio à te ſcire, an miraculis annumerandum*
„ *ſit, quod Jeroboami extenſa ad comprehendendum*
„ *prophetam Domini, manus exaruerit, ut ad ſe re-*
„ *ducere niſi demum per preces Prophetæ potuerit?*

Manus Jeroboami, manus eſt Cæſaris: Loquitur Lutherus contra altare Bethelis Romani: & obſtupeſcit manus adverſariorum:

*Sed*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*Sed miraculum augebit quod ſequitur. Poſtquam nunc à Cæſare & ordinibus proſcriptus omni defenſione & præſidio exutus eſt, quid agit? Num παλινῳδίαν meditatur, num deprecatur, num ſupplicatur? Nihil minus! Imò nunquam acerbius in adverſarios veritatis eſt invectus. Antichriſti revelationem mox ex Daniele ſcribit, Bullam cœnæ Leonis mirifice exagitat, Epiſtolam Adriani VI ſcopticis commentariis illuſtrat, contra Pſeudoeccleſiaſticos Papam & Epiſcopos tractatum edit, Georgium Saxonem pro meritò accipit: Imò etiam extra imperium progreſſus, Regem Angliæ Henricum vehemente & dentatâ refutatione in ſe irritat. Hæc in annum ferè viceſimum ſecundum inciderunt, & hæc omnia VVitebergæ, in luce omnium. Impoſsibile erat hæc omnia impunè auferre humanâ tantum fiduciâ fretum & ſecurum. Mox accuſatur anno viceſimo tertio vehementiſsimè ab Anglo, & graviſſimis calumniis traducitur à Ludovico Ungaro, miſsis ad Electorem literis: ſed quid efficitur? Elector totum ſe ſubtrahit iſtis turbis, ſe invito & inſcio Lutherum VVitebergam rediiſſe ad utrumq; proteſtatur, & nihil in ſe Monacho iſti defenſionis repoſitum aſſeverat. Imò nunc Adrianus VI. omnibus diris Fridericum cum ſuis Saxonibus devovere parat, & ni reſipiſcat, in fine Epiſtolæ, utrumq; gladium, Eccleſiaſticum & politicum minatur.*

*Rurſus anno viceſimo quarto edictum novum*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Cæſareum procuditur, quo executio proſcriptionis Vormatienſis imperatur. In hoc ipſum præfatus Lu-
„ therus aſperrimè in principum, & ipſius Cæſaris væ-
„ cordiam invehitur, Teutonicas beſtias, & Papæ-Aſi-
„ ni Martyres appellans, qui ſtultitiâ non depurentur,
„ ſi vel maximè in mortarium conjecti, conterantur.
„ Ibidem contemptim laceſcit omnes principes, ut per-
„ gant trucidando, cremando, ſe enim ne pedem qui-
„ dem moturum: Imò ſe jam tertium annũ interdicto
„ Vormatienſi ſuperſtitem, nihil à præſente per Dei
„ voluntatem periculi ſenſurum gloriatur: Item cer-
„ tum eſſe principes in ſe nihil infortunij effectum da-
„ turos.

„ Qui hæc conſiderat animo religioſo & fiduciæ
„ pleno, non poteſt non miraculum magnum exclama-
„ re, miſerum hominem ab omnibus poteſtatibus, non
„ modo derelictum, ſed crudeliſſimè proſcriptum &
„ exagitatum, Omnia edicta ludibrio habentem, &
„ q. cum contumeliâ principes omnes in ſui necem
„ provocantem & irritantem, in his omnibus in pu-
„ blico verſantem, & in medio hoſtium concluſum,
„ non modo unicum horæ momentum ſupereſſe, ſed
„ etiam quaſi in utramq; aurem dormire, & quietè diem tandem claudere. Nonne hîc cum admira-
Pſal. 33. tione dicemus, Dominus labefactat conſilia gentium, & irritas facit cogitationes populorum: Conſilium autem Domini ſtabit in æternum, & cogi-

tatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*tationes cordis ejus in generatione & generationem? Si autem alios in comparationem adſciſcimus; non poſſumus non magis mirari: Nam quis tantâ unquam παῤῥησίᾳ in Pontificem uſus, inultus abijt? Quid egit Huſſius, quid Hieronimus Pragenſis, quid Oldencaſtel Anglus, quid Keiſersbergius, quid Hilten, quid reliqui? qui cum Luthero comparati, nihil ferè admiſerunt, & tamen ſanguine ſuo delictum expiârunt, quorum etiam cineres adhuc circumvolitabant, & rogi hoc ipſo tempore fumabant. Si fortè ſeditionem timuerunt adverſarij, cur eam ante hac ſpreverunt? cur ergo non veneficiis uſi, à quibus ne quidem ipſi Pontifices immunes ſunt? Imò quibus etiam ipſum ſacramentum intoxicare non ſunt veriti. Cur non ſicariis, quibus jugula regum petierunt? niſi fortè quia nondum ſacra Eſavitarum cohors in medium prodierat, quæ hoc compendio Apoſtolicæ ſedis omnipotentiam locupletavit:*

*Danielis inter Leones ſervata incolumitas, miraculum eſt, Dario ipſo obſtupeſcente. L*UTHERI *vita in tanta crudelitatis copiâ nihil minus. Ibi Leonum brutorum, hîc rationalium idem* DEUS *ora conſtrinxit.* DAVIDEM *in manibus* SAULI *toties concluſum, præcipuè 1. Samuelis viceſimo tertio,*

*qui*

„ *qui divinitus miraculoſè liberatum negaverit ad-*
„ *verſarios ipſos, adverſarios puto experietur.*
Nihil diſsimile in Lutheri liberatione; niſi quod David viſibili exercitu inſtructus, Lutherus eo deſtitutus. *In utriusq; caput gladius ſtrictus, inanis revocatur, quia Jehovah clypeus utriq;.*

*Prætereo nunc ſciens tot ſanguinaria conciliabula, Bononiæ & alibi habita, in quæ etiam conſenſit Anglus in Epiſtolà ad Electorem,* quæ tamen vivo Luthero q. divinitus ſunt cohibita, mortuo eruperunt.

*Quod & ipſum maximi miraculi eſt loco, de quo ipſe tam confidenter antea Electorem commonefaciens, & q. vaticinans affirmavit Electorem ſuà potius, quam ſe Electoris protectione indigere. Imò confidentius ad principes, in præfatione ſuper Edictũ Cæſaris, ſpiritu plane prophetico ita inquit:* Nu mein lieben Fürſten vnd Herren / ihr eilet faſt mit mir armen einigen Menſchen zum tod / vnd wenn das geſchehen iſt / ſo werdet ihr gewonnen haben/

haben/wenn jhr aber Ohren hettet/die da höreten/
ich wolt euch etwas ſeltzams ſagen; wie wenn des
Luthers Leben ſo viel für GOtt gülte/ daß wo er
nicht lebete / ewer keiner ſeins Lebens oder Herr-
ſchafft ſicher were / vnd das ſein Todt ewer aller
Vnglück ſeyn würde?

*Quæſo per Deum immortalem, animum adver-
tite auditores, num hæc humanæ ſunt ſagacitatis o-
racula? Quid unquam confidentiùs dictum, vera-
ciùs eventu declaratum? Hoc ipſum omnia priora
exuperat. Nonne n. ita actum eſt? Quid profece-
runt omnibus ſuis cruentis conſultationib. adverſa-
rÿ vivo Luthero? Quid turbarum inter principes
datum? At conſiderate mortuo eo, quæ confuſiones;
quæ cædes; quæ latrocinia, quot principum interi-
tûs? Is quietè & placidè diem obit, in Februario An-
ni 1546. Mox eodem anno erumpunt in actum ha-
ctenus ſuppreſſa Conſilia. Cæſ[illegible]xpedit arma: Nec
ſegniores ſunt Elector & Lan[illegible]gravius: Hi capti
dignitate & potentiâ exuuntur: Paucis elapſis an-
nis, ipſe Cæſar in hoc ipſum theatrum producitur:
Bello petitus â Mauritio in eas anguſtias redigitur,
ut conditiones accipere nō præſcribere habeat. Mox
oriuntur latrocinia Alberti, in quibus opprimendis
trucidatur Mauritius, & plura ejusmodi.* Non-
ne verè Lutheri vita, princi-

 pum

pum vita, principũ tranquillitas? Nonne verè Electores huj9 protectione, non hic illorũ præſidio ſecurus? Quid obſtat quo min9 dicant principes Luthero, quod Joas Eli-
2. Reg. 13. ſæo Pater mi, pater mi quadrigæ & equites Iſraelis?

*Ita ergo videant nunc adverſarij, ſi per occæcationem & indurationẽ videre & intelligere poſſunt, Deum verè Luthero tanquam miniſtro fidiſſimo cooperatum: videant miraculoſum religionis initium, miraculoſum progreſſum, miraculoſam etiam hodie conſervationem.*

*Sat ſcio requirent leproſorum mundationem, cœcorum illuminationem, mortuorum reſurrectionem: ſed ubi demonſtraverint mihi hæc ſigna neceſſariò omnibus miniſtris adhærere, & præterea talia à Johanne Baptiſta producta oſtenderint, & Auguſtini & Chryſoſtomi temporib. uſitata probaverint, tum demum etiam in hoc ipſorum poſtulato iis gratificabimur. Quoniam v. nolunt commemoratus mi-*

*racu-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*raculis contenti eſſe, dabo nunc, non quidem vobis auditores, ſed ipſis miraculorum colophonem.*

Papa Dei in terris vicarius, ” IV.
Papa diabolicis artibus & ni- ”
gromanticis prȩſidiis fortu- ”
natiſsimus, *Papa omnipotentiæ vindex,* ”
*Papa Angelorum imperator, Papa rex regum, Pa-* ”
*pa Dominus dominantium, Papa cui omnis poteſtas* ”
*in cœlo & in terra data: Item Franciſcani, Domi-* ”
*nicani, Carthuſiani, Ciſtertienſes, (& quis enumera-* ”
*bit hec* κακα θηρια*) Nigri, albi, cinericij, cucullati, cili-* ”
*ciati, debraccati, uncti, raſi, omnes omnipotentiæ* ”
*pontificiæ creaturæ, omnes miraculis ſtupendis ad* ”
*nauſeam clari; Omnes hi, cum omnibus infinitis ſuis* ”
*miraculis, ab uno Luthero ſine miraculis è Germa-* ”
*niæ, Britanniæ, Galliæ, Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, flo-* ”
*rentiſſimorum Europæ regnorum oris ejiciuntur,* ”
*exturbantur, proſcribuntur exterminantur.* ”

*Datæ mihi ſimilis efficaciæ miraculum, vel ab ipſo omnipotente Papa productum: Niſi fortè ſcintillantes Gregorij ſeptimi manicas, aut oſculatorem Franciſcũ, cui ſe Maria per integram noctem oſculandam dedit (corripiat te Deus Sathana) aut Johannem Chryſoſtomum, illum inquam rurſus beatæ Mariæ (pudeat vos,) Amaſium, illum inquam Impe-*

*ratoriæ pudicitiæ ſtupratorem nefandum, illum inquam homicidam crudeliſsimum, in medium producetis.*

*Ubi tum temporis veſter Franciſcus? qui etiam Chriſto miraculis ſuperior, & cujus meritum, Chriſti merito eſt efficacius? Num hoc tempore dormiverunt, aut conviviorum hilaritate occupati preces veſtras vobis in ſubſidium non audiverunt?*

*Hoc ergo illorum erit miraculum, auditores, qui ſuperiora aſpernantur, quod ſine miraculis tantam miraculorum copiam retuderit Lutherus:* q: d. Paulus redivivus Pythonem ejecit, & Georgiꝰ Thaumaturgus fatidicum æditui ſpiritum fugavit.

*Nolim a. vos exiſtimare auditores hæc in hunc finem à me adducta eſſe, quod exiſtimem neceſſarium eſſe doctrinæ noſtræ veritatem miraculis aſtruere; argumenta in contrarium ſuperius breviter ſunt tacta: ſed hæc ideo tractata ſunt, in ſolenni hac & anniverſariâ divini beneficij recordatioue: ut primo videant adverſarij, nobis, ſi placeat ejusmodi poſtulato ſatisfacere facile eſſe, ſi vel tandem illi oculos aperire, & reſipiſcere, atq; ex diaboli laqueis, quibus conſtricti tenentur, per Dei gratiam expediri poſſint.*

*Dein-*

Deindè ut nos ipſi in fide noſtrâ cum gratiarum actione confirmemur, non circumducti omni doctrinæ vento, ſed certò perſuaſi, hanc ipſam per Lutheri miniſterium ex tenebris Pontificiis vindicatam doctrinam, eſſe ipſam Evangelij per Chriſtum manifeſtati, per Apoſtolos prædicati doctrinam: Id n. miranda ipſius defenſio adverſus omnes corruptelas, adverſus omnes clandeſtinas machinationes, adverſus omnem apertam humanæ & diabolicæ potentiæ crudelitatem ſine ullo humano auxilio, ſine ferro & flammâ, aliter quàm vel Pontificia, vel ulla alia hæretica blaſphemia, luculentè teſtatur. Idipſum ἄσπονδον adverſariorum odium, quod Diabolus, tum inceſſabili zizaniorum ſeminatione, tum virulentiſſimis calumniis, tum acerbiſſimis prodidit perſecutionibus, manifeſtum facit. Hoc ipſum invicta firmitas adverſus tantam crudelitatis molem perſuadet.

Tandem ut Deo ſoli grati propter tantam benignitatem, diſcamus fiduciam noſtram, non in brachium humanum rejicere, ne in turbis præſentibus, quæ præ foribus ſunt, animum deſpondeamus, Et in ejusmodi prophanas, Ethnicas impias & blaſphemas cogitationes incidamus, q. de eccleſia actum ſit cum brachium carneum non cernimus; ſed ut ſoli illi confidamus, qui regit Iſraël, & qui non dormit, neq; obdormiſcit, qui inquam, eccleſiam velut pupillam oculi ſui cuſtodit. Si dicent nobis



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Pſal.11. *adverſarijs, fuge in montem ſicut paſſer. Reſpondebimus iis quod ſequitur, Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſolium collocavit, oculis*

Pſal.33. *ſuis videt. Et rurſus cum* DAVIDE: *Dominus labefactat conſilia gentium, irritas facit cogitationes populorum. Conſilium autem Domini ſtabit in æternum, & cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem; Beata gens cujus Deus Jehovah, populo quem elegit ſibi in hæreditatem, De cœlo proſpexit Dominus, intuitus eſt omnes filios hominũ. De habitaculo ſedis ſuæ reſpexit omnes incolas terræ: Item: Rex nõ ſervatur per multitudinẽ exercitûs ſui, Heros non ſervatur per multitudinẽ roboris ſui. Fallax eſt equus ad ſalutem, & non liberabitur, per multitudinem virium ſuarum. Quid ergo?*

Ecce oculi Domini ſuper timentes ſe, ſperantes in miſericordiâ ejus.

Ut eripiat animas eorum de morte, & alat eos in fame.

*Quoniam v. æterne, miſericors, & omnipotens Deus, ita tibi complacuit, ut licet tuo nutu eccleſiam tuam ſub umbrâ alarum tuarum & ſcapulis tuis à peſte noxiâ, & à lue quæ devaſtat circa meridiem, in omni ſecuritate, ſine omni humano vel angelico præſi-*

*præſidio conſervare poſsis, protegere & defendere, quod certè etiam in eccleſiâ noſtrâ, & verbi tui propagatione abundè declaraſti; quoniam, inquam, licet eccleſiam tuo nutu propugnare poſsis, tamen divinæ tuæ majeſtati complacuit, ut miniſterium angelorum, ad cuſtodiam eorum, qui hæredes ſalutis erunt deſtinaveris, & eccleſiæ tuæ nutricios Reges & Reginas promiſeris; hanc clementiſsimam voluntatem tuam intuentes, quantas animi noſtri anguſtia capere poteſt, non quidem pro beneficij tui magnitudine, ſed pro noſtrâ animi tenuitate, gratias agimus devotiſsimi, pro conſervatâ hactenus Eccleſiâ tuâ & doctrinæ puritate, ab omni tum ſpirituali, tum corporali in his terris perſecutione: ad quam avertendam ex ineffabili gratiâ tuâ Reges noſtris ſeptentrionalibus oris dediſti, cum veritate divinâ illuminatos, tum pro eâdem conſervandâ Zelotes: In quibus etiamnum ex divinâ tuâ protectione vivit & regnat, & eccleſiam alit* Clementiſs. Chriſtianus IV. *Qui quantâ Evangelicæ conſervandæ lucis tangatur & angatur curâ, præter alia præclara ſpecimina, etiam religioſiſsima liberorum regiorum, in quibus* Electus Sereniſsi. Princeps Chriſtianus

nus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

nus V. *oſtendit.* Fac æterne Deus, regiæ hoc Majeſtati, & ſolio Danico proprium & perpetuum eſſe, eccleſiæ tuæ hoſpitium præbere: *Et Regiam majeſtatem porro, cum Regiis liberis, & totâ domo regiâ, in veritate tuâ, ſecundum omnem aliam regnorum ſuorū felicitatem, ducere, perducere, protegere dignare.*

*In quem finem etiam immenſam tuam benignitatem deprecamur, ut Magnificum R. M. Cancellarium D. Chriſtianum Friis de Kragerop. eq. aur. & ſanctiſſimum Regni ſenatum, vero pietatis & Religionis zelo affles & accendas jugiter: Et præterea Academiam hanc, & quotquot docendi miniſterio à te præfecti ſunt, ſalutaris tuæ cognitionis lumine, & bonarum artium ornamento inſtruas, ut in tui nominis gloriam, nos populus tuus ſimus, & tu in medio noſtri, tanquam in ſanctuario tuo, perpetuo beneplacito habitare delecteris.*

DIXI.

Ora-

# Oratio Ant-irenica

De veris diſsidiorum & ſchiſmatum in ecclesiâ cauſis.

*Qui in ejusmodi frequentiâ & venerando conſeſſu, ubi tot authoritate atq̧ eminentiâ clariſsimi homines comparent, ubi tot eruditionis atq̧ iudicij acumine conſpicui viri ſedent, ubi tanta politiſsimorū hominum copia animo omnia deſignat, ubi tam denſa juvenum avidiſsimorum corona aures arrigit, & oculos exacuit; Ubi deniq̧ omnium aures, omnium oculi in unum ſunt intenti; Qui, inquam, Auditores omnium ordinum Lectiſsimī, in ejusmodi conventu verba facere tentant, aut inſigniter argumenti gravitate atq̧ dictionis authoritate ſuavitateq̧ inſtructos eſſe oportet, aut certè fatiſcere, & in oratione deficere neceſſe eſt. Nec enim humanum ſatis eſt, ſed nimis amarulentum & inconſideratum quod Theophraſto Ereſio in Areopago ſubticenti & authoritatem judicum cauſanti, reſpondit Demochares: Athenienſes fuiſſe, non duodecim numina, qui judicio præerant.* Æl.lib.9. *Nam & certè authoritas numinum in tali frequentiâ emicat; nec omninò ipſo numine ejusmodi conventus vacuus eſt judicandus. Verum*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*ut ad rem: dicendum tamen mihi eſt aliquid in hac frequẽtiâ: Ita n. jubes Magnifice Academiæ Rector, quod propterea dico, ne, ſi oratio auditorio minus conveniat, aliqua in meam temeritatem, ſed in tuam relabatur omnis culpa authoritatem. Optaſſem v. qui mihi munus dicendi impoſuiſti, etiam argumentum ſermonis tradidiſſe: Ita enim nulla mihi metuenda foret reprehenſio, & parata eſſet adverſus omnem criminationem defenſio. Dicam, tamen utcunq; potero animum addente veſtrâ ſolitâ, auditores, humanitate atq; benevolentiâ.*

*Priusquam v. argumentum ipſum aggrediar, faciã, quod fidicines & citharoedos facere memini, qui artis ſuæ ſpecimen edituri procœmiũ quoddam q. ad ipſam cantiunculã præparatoriũ præmittere ſolent.*

*Initium igitur mihi præbeat Calliphanes ille Parabrycontis, cujus Athenæus ita meminit: ſolitum fuiſſe Calliphanem multorum principia poëmatum exſcribere, eaq; ad tertium vel quartum verſum memoriter ediſcere, quæ cum ita promptè ſæpius in conviviis & congreſſibus recitaret, magnam ſibi ſcientiæ apud cives opinionem comparaviſſe. Cum in hanc narrationem nuper inciderem, ſubijt animum recordatio noſtrorum temporum, in quibus ita comparatum videmus, ut multi frequenti geſtûs ac verborũ ſimulatione nomen aucupentur illius rei, à quo ipſi longè ſunt alieniſſimi. Hac in arte, ſi qui alij, certè excellentiſſimi ſunt Irenici illi declamatores moderni,*

Athen. lib. 1. c. 1.

*derni, qui ita Calliphanis illius referunt ingeniũ, ut nec lac lacti ſimilius eſſe dejeres. Etenim quẽadmodũ ille frequentiſsimè in ore habebat doctorũ poëmatum initia, ut ita ipſorum poëmatum diligens lector & intellector haberetur: Sic omninò Irenici illi in ſuis votivis libris ita multa de pace diſſerũt, de concordiæ Chriſtianæ commodis declamitant, de diſcordiarum theologicarum incommodis & periculis conqueruntur, ut jures hos ipſos ſacroſanctæ Chriſtianæ pacis genuinos alumnos eſſe, nec quicquam ipſis magis curæ cordiq́; eſſe, quàm ut omnia ex eccleſiâ diſsidia & ſchiſmata, reconciliatis in unâ veritate animis, tollantur.*

*Quid n. ipſis frequentius in ore & calamo eſt, quàm hæc ſacrorum poëmatũ principia? Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum: Item, Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, ut etiam integros tractatûs & volumina de hoc argumento habeant. Egregiè Aphoriſmos Apoſtolicos verbotenus callent. Eâdem incedamus regulâ omnes. Item: Suſcipite infirmos fide. Idem ſentientes, nihil per contentionem, aut ambitionem, &c. Obteſtor vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idem loquamini omnes, nec ſint inter vos ſchiſmata, ſed ſitis coagmentati in unâ ſententiâ. Hinc eorum Exclamationes:*

Psal. 133. Psal. 122. Phil. 3. Phil. 2. 1. Cor. 1.

*Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq́; centum,*
*Schiſmatis infandos valeam memorare dolores.* Par. in Ir. p. 74.

 Hinc

Par. in Iren. p. 74. *Hinc etiam invectivæ illæ in Theologos noſtrates, tanquam rigidos vitilitigatores, item importunos δημαγώγους, tragicos controverſiarum exaggeratores, Moroſos ſtentores, ſuam inſcitiam cum inſigni conjunctam malitiâ traducentes. Quorſum v. hæc omnia, niſi ut magnam ſibi concordiæ Chriſtianæ opinionem, & præclaram averruncandorũ omnium errorum diſſidiorumq; & ſchiſmatum exiſtimationem conflent, noſtrates verò Theologos odio detrectatæ pacis, onerent & traducant? de quibus etiam illud ſcribere non verentur; quod ideo conventûs &* Par. Iren. p. 40. *colloquia cum ſacramentariis (verba ſunt Paræi) detrectent, quæ tamen cum blaſphemis concedunt & admittunt, nempe quia adverſus aliorum cauſas malas confidunt ſe facile conſiſtere poſſe, adverſus ſuam v. de victoriã deſperant. Quid hoc aliud eſt quàm noſtrates in odium adducere, & ipſam doctrinam falſitatis ſuſpectam reddere? Ita ergo in eos egregiè competit, quod in jactatores antiquitus eſt jactatum, Inaniſſima dolia acutiſſimè reſonant. Perſonant n. ipſorum libri plurima de pace, de concordiâ, de ſyncretiſſimo, rem ipſam ſi putemus, verba ſunt. Perſius de ejusmodi hominibus egregiè:*

*———— Fronte politi*

*Aſtutam vapido ſervant ſub pectore vulpem.*

*Nonne verè ſunt ex vulpeculis illis, de quibus Cant. 2. quæ labefactant ſepem vineæ? Verè ſunt: non n. ſunt Leones feri, & crudeles urſi, ſed tãtum vulpeculæ,*

*læ, quas tamen Salomon jubet capere, quia lædunt vineam. Imò ita lædunt, ut ſæpè plus damni dent veritati, quàm ipſi aperti & profeſſi hoſtes.*

*Exiſtimavi igitur auditores, nihil me nec ab officio alienum, nec hoc tempore veſtris auribus indignum & ingratum facturum, ſi in veritatis ipſius defenſionem & declarationem, atq; calumniarum ejusmodi piam abſterſionem, paucula de ejusmodi argumento in mediū proferrem, & cujus noſtrates inſimulant, ejus ipſos adverſarios criminis reos eſſe demonſtrarem. Ne a. incertis vagetur paſſibus oratio, certas mihi præſcribam metas, extra quas progredi nefas erit, ne vel ipſi veritati moleſtus fuiſſe, vel veſtrâ patientiâ abuſus videar.* Duo igitur mihi propoſita erunt: Unum, *Veram & adæquatam omnium diſſenſionum in eccleſiâ, & ſchiſmatum cauſam afferre atq; explicare: Ex* eo alterum *ſuâ ſponte ſubſequitur, ut oſtendatur penes quos omnis diſſidiorum ratio conſiſtat,* & utra pars, noſtrates ne an adverſarij ruptę concordiæ & Unitatis Eccle-

"ſiæ rei agi poſsint. *Hæc duo ubi breviſsimè oravero auditores, perorabo, veſtrâ interim audiendi hnmanitate & benevolentiâ, fretus ac patientiâ.*

MEMBRUM I. *Quemadmodum dixi, Auditores,* primum verſabitur in demonſtrandâ adęquatâ diſsidiorum causâ: *ubi propter ipſorum confuſam loquendi rationem, neceſſariò ante omnia explicandum eſt, quas ego diſſenſiones & quæ diſsidia intelligam. Cùm enim Irenici illi in commendatione pacis atq; concordiæ verſantur, confundunt plerumq; charitatem Chriſtianam, in tolerandis cum privatis injuriis, tum nævis & erroribus infirmorum in fide, cum ipsâ concordiâ eccleſiaſticâ, quæ tamen in ſeſe diſtinctiſsima eſſe patet; quippe hæc nos, illa Deum reſpicit: charitas Chriſtiana jubet ſuſcipere infirmos in fide, non veritati ſcripturæ præfractè adverſantes, non obloquentes Deo, & tenebras lucem dicentes: ſed concordia Chriſtiana jubet tales cavere, & non dicere eis ave, &c. Deinde pacem politicam* ſtudioſè & inſidioſè *cum eccleſiaſticâ permiſcent, quod tamen nequaquam eſt faciendum. Etenim quemadmodum alius vitæ ſtatus eſt Eccleſiaſticus,*

*alius Politicus, alius Oeconomicus, ita certè concordia Oeconomica & politica plurimum ab Unitate diſcrepant Eccleſiaſticâ. Et proinde diſſidia politica longè ſunt alius generis quam Eccleſiaſtica. Quamvis n. pacis politicæ & œconomicæ fundamentum meritò agnoſcamus pacem eccleſiaſticam ſeu Concordiam fidei, ut vix ſtabilis eſſe queat pax in thoro & foro, niſi eadē quoq; ſit in Choro, ut loquuntur; quod exemplo Jeroboami duos facientis vitulos* 1. Reg. 12.
*aureos, ad fovendam atq; tuendam ſeditionem decem tribuū à Regno Juda patet: Attamen & ſacra pagina & ipſa experientia docet Concordiam Oeconomicam & Politicā obtineri quodammodo poſſe, ſine Unitate religionis: Nam & Paulus permittit conjugium fidelis cum infideli conjuge, & prohibet divor-* 1. Cor. 7.
*tium fieri propter Religionis diverſitatem, ſi nimirū infideli parti placuerit cohabitare fideli. Nec minus Politici contractus atq; fœdera iniri poſſunt, & inita conſervari inter diſcrepātes Religione ſocios. Verum longè aliter ſeſe res habet cum pace Eccleſiaſticâ. Ratio eſt, qui in iſtis humanum arbitrium plurimum habet authoritatis, & res hujus ſeculi aguntur, in quibus prudentiæ hominū ſuus eſt locus aſsignatꝰ: In his v. nihil humanæ permittitur libertati,* ,, **ſed Dei ſunt omnia,** *ad cujus nutum omnia item cōponenda, ut ne quidem extra præſcriptum ipſius neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram* ,,

*latum*

„ latum unguem ſecedere concedatur. Sicut ergo
„ alia eſt concordia Politica, alia Eccleſiaſtica: ita
„ certè longè alius generis ſunt diſſidia Eccleſiaſtica
„ quàm Politica. Quandò igitur diſſenſiones eccle-
„ ſiaſticas nomino, & earum cauſas inquiro, hoc quæ-
„ ro; quî fiat, quod homines tot diverſis inter ſe de re-
„ ligione diſputationibꝰ concertent, quæ cauſa ſit quod
„ in Unitate fidei non conveniant, & ſicut loquitur
„ Apoſtolus, non ſint coaptati in unâ mente, & in
„ unâ ſententiâ, eademq; loquantur unanimiter: ſed
„ hæc pars illius doctrinam dicendo, docendo, ſcriben-
„ do perſequatur, oppugnet, confutet.

Et quidem ut ex ſupra dictis patet, Adverſaria
pars culpam omnem in rigidos δημαγώγους & ſtento-
res moroſos, Theologos intelligens Auguſt. Confeſ. re-
iicit, qui plus pro gloriá ſuâ ex cõtendendi ſtudio con-
certant, quàm veritatis & gloriæ divinæ rationem
habent. Id quod ſanè inſolitum nobis videri non de-
bet. Nam & longè ante Apoſtolorum memoriam
eædem technæ à πολιτικωτέροις hominibus adhibitæ
ſunt. Imperante Achabo cum propter derelictum
Jehovæ cultum & introductam Idolatriam Baali-
ticam Regnum Iſraëliticum miſerabiliter fame af-
fligeretur, veriſimile eſt multos fuiſſe, qui veram
cauſam iſtius mali ex concionibus Eliæ agnoſcerent,
idq; interdum non diſſimulaviſſe: Ibi igitur ne in
ſeſe culpa derivaretur, accuſat impius Achab Pro-
phetam atq; ipſum tanquam turbatorem Iſraëlis

tradu-

*traducit: Tune, inquiens, es qui perturbas Iſraël, cum ipſe revera is eſſet, qui ſuâ Idolomaniâ Iſraële turbaret, ne omnes uni Jehovæ ſervirent, ſed qui antè unꝰ populus propter unum erat cultum, nunc turba propter diverſas eſſet religiones:* Id n. eſt turbare, ex unitate turbā facere. *Imò in primitivâ eccleſiâ nonne omnium calamitatum culpa in Chriſtianos translata eſt?*

*Sed his miſſis, ſi quæramus ab adverſariis, qui „ fiat, quod ipſi aliorū doctrinas oppugnent, ſuam mor- „ dicùs tueantur: in promptu erit reſponſio, quia alio- „ rum doctrina erronea, ſua veritati ipſi eſt confor- „ mis. Et quidem rectè reſpondent pro ſe: Non enim „ aliam originem habent ejusmodi diſſenſiones, ut non „ in humanis, ita neq; in divinis, quàm quod una pars „ penes ſe exiſtimet veritatem eſſe, cujus ſciendæ deſi- „ derio omnes naturâ trahimur, penes alteram verò „ falſitatem. Indè igitur nunc æſtimare facile eſt, eam eſſe primam adæquatam & ſolitariam q. ejusmodi diſſenſionum cauſam, quæ eſt omnium in eccleſiæ dogmatibus errorū ſcaturigo: Ex eo n. quod nō omnes eadem ſentiamus, eadem loquamur, eadem doceamus, oriuntur ſchiſmata atq; diſſidia & in partes abitur. Id quod in politicis verum eſt, in Eccleſiaſticis veriſſimum.* Agnitâ ergo erro-

tum cauſâ, agnita fuerit genuina diſſenſionum origo.

„ *Id quod licet per ſe ſit manifeſtum, tamen ex colla-*
„ *tione duorum Spiritus ſancti Aphoriſmorum dedu-*
„ *cere placet. Alter eſt Eliæ, alter Chriſti. Achabus Ido-*
1. Reg. 18. *lolatra & omnis turbæ in Iſraële author, Eliæ inquit,*
„ Tune es qui perturbas Iſraël?
„ *Elias v. reſpondit:* Imò tu es, qui per-
„ turbas Iſraël. *Qui ſic?* quia defe-
„ ciſti ad Baal & mandata Jeho-
„ væ dereliquiſti. *Chriſtus, cum Saddu-*
„ *cæi diſputarent contra reſurrectionem, ex ſuis prin-*
Mat. 22. „ *cipiis, ita inquit:* Erratis; *Quare?* Igno-
„ rantes ſcripturas & poteſta-
„ tem Dei. *Videtis, uni eidemq́; cauſæ uterq́; adſcribitur effectus, Errores ipſi & turbæ ſeu diſſidia. Erratis inquit Chriſtus, Quia ignoratis ſcripturas: Perturbas Iſraël, inquit Elias, quia defeciſti à mandatis Dei:* Defectio à mandatis non eſt hîc aliud quam

Igno-

Ignorantia ſcripturarum. *Ignorantiam autem affectatam dico non ſimplicem. Utrobiq; n. illa intelligitur. Habemus igitur veram diſsidiorum quæ & errorum cauſam, nempe ignorantiam ſcripturarum, cui Chriſtus annectit ignorantiam potentiæ Dei. In hac igitur evolvendâ, ut perveniamus tandem quo volumus, pauliſper immoremur.*

Ignorantes Scripturam.

*Videndum n. quid per Ignorantiam ſcripturarum intelligit Chriſtus, & qui nam errent ex ſcripturarum ignorantiâ. Non enim intelligendi hîc veniunt, Gentiles & pagani, ad quos ne quidem fama ſcripturarum pervenit, ſed quoniam ſermo eſt de diſsidiis Eccleſiaſticis, oportet intelligere eos errare ex ignorantiâ ſcripturarum, quibus ipſa ſcriptura cognita eſt. Id quod licet contradictionem implicare videatur, tamen ita omnino intelligendum ex ipſis Chriſti verbis eſt manifeſtum. Sadducæi n. erant, quibus hunc errorem ex hac cauſa tribuit Chriſtus. Sadducæi inquam, qui non pagani, non gentiles, non alieni à politiâ Iſraëlis, & lege Moſis, ſed in ipſo Dei populo nati, educati, edocti, quos certè non ignoraviſſe ſcripturā teſtimonio eſt ipſum argumentum quod Chriſto objiciunt de muliere ſeptem fratribus copulatâ. Ita adhuc errant in ec- "*
*cleſiâ ex ignorantiâ ſcripturarum, non qui neſciunt, "*
*utrum ſcriptura ſit in rerum naturâ nec ne, neq; iÿ "*

„ *qui neſciunt, utrum ea ſit ſcriptura Dei, an v. Æſo-*
„ *pi vel fabulatoris alicujus Ethnici: ſed qui ſcriptu-*
„ *ras ipſas legunt, relegunt, volvunt revolvunt, &*
„ *Magiſtri eſſe in Iſraële volunt; hi ipſi Errores ex*
Notitia ſcripturæ *ignorantiâ ſcripturarum gignunt & enutriunt. Si-cut n. notitia Scripturæ non ſignificat nudam illam & ſuperficialem notitiam, per quam ſatisfacere poſſumus Quæſtioni, An ſit: ſed complectitur 1. Approbationem piam ipſius ſcripturæ tanquam verbi Dei & non hominis 2. Reverentiam, qua ſe homo ſubmittit majeſtati hujus verbi ſcripti & authoritati, ut eo audito taceat & digito compeſcat labellum, nec contra hiſcere audeat. 3 Deniq; deſiderium & amorem iſtius verbi tanquam theſauri pretioſiſſimi, ne ſuas illi prælatas velit cogitationes, & rationis ſuæ creaturas, & ſimias pluris æſtimet: ſed dicere*
Pſal. 119. *poſſit cum Davide: Dulciora eloquia tua melle: Dilexi mandata tua ſuper omnem ſubſtantiam, Deſiderabiliora mihi ſunt obryzo, Niſi Lex tua meditatio mea fuiſſet, defeciſſem in angore meo; Ita vi-*
Ignorantia ſcripturæ. *ce verſâ Ignorantia ſcripturarum non modo rejectionem ſcripturæ & contemptum ipſius importat, qualis eſt apud Pontificios, ſed longè plura in ſe continet. Hi n. etiam verè dicũtur Ignorare ſcripturas, qui ipſius ſacroſanctam authoritatem nõ agnoſcunt & admittũt: quod videlicet dominetur omni rationi humanæ, quod illa confundat ſapientiam ſapientiũ, & intelligentiam intelligentũ evertat, quod illa in-*

quam

*quam captivet omnem rationem in obſequium fidei; quod illa demoliatur omnem cogitationem extollentem ſe adverſus cognitionem Dei. Deinde ignoratur ſcriptura, quando non attenditur, ſi quæ in eâ obſcuriora occurrunt, quæ non ſubitò patent intellectui, non licere interpretationes ex noſtro cerebro fingere, ſed eas ſolas ex ſcripturâ petendas, quæ non ſit* ἰδίας ἐπιλύσεως; *& quando magiſterium ſibi ſumunt* 2.Pet. 1.
*in ipſam ſcripturam, ut eam tanquam Regulam lesbiam & cereũ naſum ad ſuas ratiunculas inflectere & transformare ſibi permittant: Cum nimirũ hæc axiomata valẽt, Deus non proponit nobis incomprehenſibilia. Non tenemur credere quod rationi noſtræ adverſatur. Ubi inquam hæc effata valent, ibi verè ignoratur ſcriptura h.e. Authoritas & majeſtas ipſius in pretio non habetur, nec diligitur ſcriptura ſed magis odio habetur, & noſtris cogitationibus poſtponitur. Sicut n. verba notitiæ Hebræis conſignificant affectum, ita viciſſim ſcriptura ſæpè ignorare, non cognoſcere, uſurpat pro odio habere, rejicere, &c.*

*Atq; proindè* ſcripturarum Ignorantia nihil aliud eſt quam diſceſsio ab ipsâ ſcripturâ, ex quâ omnem errorem ini-

tium ſuum ducere, tum authoritate Chriſti, tum ipſo ſano judicio atq; experientiâ eſt manifeſtum. *Etenim quis novit*
1. Cor. 3. *mentem Domini, quis ei fuit à conſiliis? Nonne verum eſt? Nemo hominum novit ea quæ ſunt hominis niſi ſpiritꝰ hominis qui eſt in homine, Ita nemo novit quæ Dei ſunt, niſi ſpiritus Dei? Quomodo igitur animalis homo percipiet ea quæ ſunt ſpiritus Dei? Stultitia ei ſunt, inquit Apoſtolus: Animalis autem in tantum eſt, in quantum illuminatione ſpiritus per verbum privatus eſt. Ideo Chriſtus inquit: Nemo*
Matth. 11. *novit patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare: Revelatio ea fit in verbo: Et quid quæſo loquitur amplius ſcriptura de hominis intellectu & ſcu*
Gen. 6. & 8. *entiâ? Omne figmentum cordis humani malum eſt, inquit ex Deo Moſes. Paulus explicat Roman. 8.* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐχθρὰ ἐστι πρὸς τὸν θεόν. *Quid a. intelligis per figmentum &* φρόνημα *carnis? Num vanas & pueriles cogitationes, quæ à tardis & ineptis ingeniis proficiſcuntur? Nequaquam! ſed Moſes dicit* chol jezer *Omne figmentum: quicquid præſtantiſsimè excogitari poteſt, fingi, formariq; de Deo ex corde humano, id malum eſſe. Ideo Paulus non dicit: Omnis ſtultitia carnis, ſed dicit* πᾶν φρόνημα, *omne illud quod*

*caro*

caro judicat præſtantiſſimum ſapientiſſimumq; eſſe de Deo, non modo inimicum eſt Deo, ſed etiam eſt ipſa inimicitia adverſus Deum. Quando igitur homo ſuis de Deo cogitationib. ducitur, & ſuis q. auſpiciis ipſum quærit, non poteſt non errare, non ſecus ac cœco ſine duce, neceſſariò eveniunt ſcandala. Id quod etiam Themiſtius Gentilis Philoſophus, ad Valentem Imperatorem intercedens pro Chriſtianis ſignificavit, impoſſibile eſſe, quin homines in iis, quæ opinione ſolum adſequuntur, errent; opinione autem duci omnes in cognitione Dei; puta, qui ſine lumine ſcripturæ eum quærunt.

Eâ de causâ ſcripturam his titulis ornavit ſpi-
ritus ſanctus: illam eſſe quæ erudit ineptos, illam quæ Pſal. 19.
illuminat cœcos, quæ dat intellectum inſipientib.
Item Lucernam eam eſſe pedib. noſtris, & lumen ſe- Pſal. 119.
mitis noſtris; Cum ex adverſo omnes homines di- Epheſ. 4.
cantur in tenebris ambulare, imò tenebræ eſſe, non agnoſcere Deum, propter tenebras quæ ſunt in ipſis. Cum igitur, ut ad rem, Homo cœcus ſit, & nihil intelligat, & ſcriptura ſit Lucerna, quæ illuminat cœcos, & erudit inſipientes, utiq; per ſe manifeſtum evadit, non poſſe aliter fieri, quin ex errore in errorem delabamur, ubi diſceſſionem à ſcripturâ fecerimus, non ſecus ac offenſio in tenebris ambulantibus

para

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

parata eſt, qui Lucernam rejiciunt. Exempla nimis multa præbent cõtroverſiæ omnium temporum.

Ac ne ab ovo, ut ajunt, incipiamus, prætereamus tempora primorum parentum ac patriarcharum, quibus nondum ſcripto conſignatum erat verbum Dei: Mittamus etiam ætatem ipſius Chriſti, quâ qui errores cum Phariſæis, tum Sadducæis & reliquis fuerunt familiares, originem duxiſſe ex Ignorantiâ ſcripturarum, quam modo explicuimus, tam manifeſtum eſt, ut nihil manifeſtius. Ideo enim Chriſtus inquit: Scrutamini ſcripturas, ideo: Audiſtis quod dictum ſit à veteribus: Ego v. dico vobis: & hoc ipſum probat, in quo arcem cauſæ poſuimus, Sadducæis à Chriſto reſponſum.

Taceamus etiam ſecula primitivæ eccleſiæ, in quibus nemo non videt, non aliundè tot agmina errorum fluxiſſe, quam ex Ignorantiâ ſcripturarum. Licet n. ij homines ſcripturæ authoritatem ſuis dogmatibus prætexuerint ( quemadmodum nulla unquam tam abſurda in medium producta eſt Hæreſis, quæ non latibulum ſub umbrâ ſcripturarum quæſiverit ) nihilominus tamen ſcripturas verè ignorârunt, cum non ex iis ſua ſenſa eruerint, ſed ea in ipſas ingeſſerint; atq; ita non ad ſcripturam ſua dogmata conformârint, ſed ad ea ſcripturam.q obtorto collo traxerint.

Maneamus tantùm in iis quæ præ foribus ſunt. Unde Idolomaniæ Papiſticæ? unde tota illa colluvies

vies

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

vies errorum de operibus bonis, de miſſis, de libero arbitrio & gratiâ, de peccato, de purgatorio & cœteris, niſi ex Ignorantiâ ſcripturæ? Poſtquam enim in eam opinionem deventum eſt, Scripturam, ſuam ab eccleſiâ h e. à Papa & purpuratis ejus habere autboritatem, ſine Pontificis approbatione æquipollere ſcripturæ fabulas Æſopicas, Papam judicem ſuperiorem eſſe ſcripturâ, ſcripturæ interpretationem ex ſcrinio pectoris Papalis petendam, & ſanctè amplectendam, poſtquam, inquam, ita diſceſſum à ſcripturá eſt, jam q. agmine facto, Una Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis Africus, & cœlũ terræ miſcent. Quid multis opus ubi rerum teſtimonia adſunt? Nibil hic agimus de Irenicis, quia nolunt audire ſe diſcedere à ſcripturá: Inferiꝰ de illis videbimus. Sufficit hoc loco probaſſe Errores in Eccleſiâ ex ſcripturarum ignorantiâ, h. e. neglectu & contemptu ſcripturæ fruticari.

Nunc de diſſidiis idem manifeſtum eſt. Etenim ut ſuperius attigimus, ex eo homines incipiunt inter ſe diſſenſiones atq; ſchiſmata alere, quod una pars alteram errare & à veritatis ſanctitate, quæ inviolata erit omnibus confitentibus, deflectere exiſtimet. Ideò manentibus erroribus manent diſſidia, manent a. errores quamdiu diſceditur à ſcripturâ: niſi igitur reverſio fiat ad ſcripturam, fruſtrà quæritur Syncretiſmus. Non enim evertitur effectus, cauſa in vigore ſuo perſiſtente.

Ephes. 4. *Audiamus amplius hac de re Paulum ita diſſerentem: Date operam ſervare Unitatem Spiritus in vinculo pacis: ſed quomodo? Quia, inquit, Unum corpus, unus ſpiritus, vocati in unâ ſpe. Unus Dominus, unus baptiſmus: una fides, Unus Deus pater omnium.* Regula Concordiæ. *Præſcribit igitur Apoſtolus regulam Chriſtianæ cõcordiæ talem:* Quibus unus eſt Deus, un9 Dominus Chriſtus, Unus baptiſmus, Una fides, hi coaleſcere poſſunt

„ vinculo pacis. *Ideo ſicut hortatur Phil. 3.*
„ *(qui locus Irenicis valdè eſt familiaris), ut eâdem o-*
„ *mnes incedamus regulâ. Ita viciſſim Gal. 6. Qui non*
„ *incedunt, inquit, hac regulâ, illis non ſit pax, neq; miſericordia. Perſpicitis igitur quomodo pacem & concordiam permittat Apoſtolus, nempe ſi unâ regulâ incedamus. Regula illa Scriptura eſt, quæ monſtrat non niſi unum Deum, unum Chriſtum, Unam fidem, unum baptiſma, unum patrem omnium: Qui igitur ab hac regulâ deflectunt, hi alium Deum, alium Chriſtum, alium baptiſmum, aliam fidem habeant, neceſſe eſt, quam quæ in ſacris literis deſcribitur, & de iis dicit Paulus, his neq; ſit pax, neq; miſericordia.*

Sicut igitur fundamentum

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

concordiæ eſt inceſsio ſecundum eandem Regulam, ita diſceſsio ab illâ regulâ, cauſa eſt ruptæ Unitatis, atq; violatę pacis Chriſtianæ unica ſcaturigo. *Meritò igitur id genus hominum à nobis audit, quod ad Ægyptios ſermonem convertens Anaxandrides apud Athenæum inquit lib. 7. c. 17.*

Haud eſſe vobiſcum queo commilito,
Concordibus nec morib. nec legibus
Per maxima intervalla diſcrepantibus,
Bovem colis, dijs ego macto boves.
Tu maximam anguillam Deum putas: Ego
Obſoniorum credidi ſuaviſsimam.
Carnes ſuillas tu caves: at gaudeo
His maximè. Canem colis, quem verbero,
Edentem ubi deprendo fortè obſonium,
Habere ſi felem mali quid videris,
Luges. Ego ſuaviſsimè decortico, Igitur
Haud eſſe vobiſcum queo commilito,
Concordibus nec legibus nec moribus
Per maxima intervalla differentibus.

*Verùm quum in his habeamus etiam* ὁμοψήφους *adverſarios, non opus eſt pluribus.*

*Deſcendendum igitur tandem eſt ad ſecundum orationis membrū cujus gratiâ omnia hactenus dicta ſunt; nempe ut oſtendamus penes utram partem* MEMBRUM II.

*ſtet, quo minus coaleſcat concordia, & omne diſsidium eradicetur. Adverſarij plauſibilibus ſuis de concordia declamationibus & votivis Irenicis hoc agunt, ut culpam omnem à ſe in noſtrates transferant: Dabimus igitur operam, ut cuius noſtros inſi-*
2. Tim. 3. *mulant, ipſi rei convincantur, atq; ex iis eſſe demonſtrentur, qui ſpeciem quidem huius habent pietatis, virtutem v. ipſius abnegant.*

*Firmum igitur ſtat ex dictis, Diſceſsionem à verbo Dei cauſam eſſe omnium Errorum, & conſequenter omnium ex his ortorum diſsidiorum. Nam ſcriptura unum Deum, Unum Dominum, unum baptiſmum, unam fidem agnoſcit: quando igitur diſceditur à ſcriptura, diſceditur ab uno illo Deo, ab unâ illâ fide, quia hi nuſquam inveniuntur niſi in ſcripturâ. Inde igitur in proclivi eſt deciſio.* In eos omne diſsidiorum, controverſiarum & ſchiſmatum crimen conferendum, qui ſeceſsionem à ſcripturâ faciunt. *Id v. de ſe nequaquam audire volunt adverſarij, quia judicem omnium controverſiarum eam nobiſcum proclamant ſcilicet. Igitur hîc videndum eſt, an jure ipſis tribuatur, in hoc n. cardo rei vertitur. Et quidem 1. Ex confeſsione eorum*

rum ingenuâ agemus. 2. ex praxi. 3. & tandem ex dogmatib. id demonſtrabimus.

Quid verò cenſes? nonne egregiè ſcripturæ majeſtati ſeſe ſubmittunt, ut ea ſit regula, ſecundum quam ad tuendam concordiæ unitatem incedamus, qui his floſculis ſuam erga eam reverentiam atq; obedientiam teſtantur. Quemadmodum Hippocrates mandat, ut medicus dextro oculo ad naturam, ſiniſtro ad artem Medicinæ reſpiciat: Ita non ſolum verba Chriſti attendenda ſunt, ſed proponenda eſt magis tota doctrina Chriſtiana. Verba ſunt Victorini Strigelij in Epiſtolâ ad Rambeccum. Audite, verba Chriſti non ſunt attendenda ( loquitur de controverſiâ Euchariſticâ,) ſed ex aliis peregrinis locis hæc verba ſunt torquenda crucifigenda, & excarnificanda, donec rationi commodè approbentur. Conſenſus orthodoxus cap. 5. fol. 98. p. 3. huic Enunciato aſſentitur: Non ſimpliciter oportet intueri verba Chriſti, ſed aliud quippiam cogitare.

Zvingl. in coll. Marpurg. Deus, inquit, non proponit nobis res incomprehenſibiles. Lupichius cōtra Selnecc. Si non licet, inquit, uti ratione in rebus fidei, cur Evangelium non prædicatur vaccis & anſeribus? Id quod Oſtorodus ita protulit: Non teneri nos credere quicquam quod ipſi rationi adverſetur. Si hoc non eſt ignorare ſcripturam, neſcio quid ſit eam ignorare: Cujus autem generis ſunt hæc? Verba Chriſti in controverſia Sacramentaria ſunt κρινόμενον non vero regula fidei: Inde noſtrates vocantur Literatores Elementarij, **Buchſtabler.** Heidelbergenſes in controverſiis German. adverſus

*Tubingenſes ajunt ſe criminari non poſſe quod urgeant* τό ῥητὸν, *ſed mox dicunt* τὸ ῥητόν *eſſe* κελνόμενον. *Quemadmodum & Orthodoxus conſenſus cap. 7. fol. 161. p, 2.* Manifeſtus *inquit* eſt abuſus verborum cœnæ in probando eo, quod ex verbis in quæſtione vel controverſia eſt. *Martyr. in dialogo.* Ridet nos quod nihil habeamus pro dogmate Euchariſtico tuendo, niſi C H R I S T I τὸ ρητον: *Malunt igitur à monitoribus nocturnis quam à ſcripturâ ſua ſenſa petere.*

*Verum idipſum melius patebit ex praxi. Scri-*
1. Tim. 2. *ptura inquit: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire. Adverſarij reſponſant, Non fuit non eſt, non erit tempus, quo Deus voluit, vult, volet, omnes homines ſalvos fieri, ſed vult maximam hominum partem interire, quos damnationi ex abſoluto odio ab æterno devovit. Quod ſi inquies, At ſcriptura inquit, Vult omnes: id quod probatur ibidem validiſsimis à Paulo argumentis; Audies:* OMNES *hic ſignificat* MINIMAM PARTEM HOMINŨ, PAUCIſSIMOS. *Similiter, Chriſtus dedit ſe* λυτρον *pro omnibus:* PRO OMNIBUS AJUNT I. PRO PAUCIS. *Simile eſt, Cum Mundus nunc electos ſolos, nunc reprobos tantùm ſignificat, prout ipſorũ opinioni de abſoluto decreto*

*con-*

convenire poteſt. Electionem noſtram in Chriſto fundat ſcriptura: Calviniani diſcedentes à cap. 1. Eph. affirmant conſtitutā in nudo Dei extra Chriſtum beneplacito. Scripturæ affirmant non eſſe ullum beneplacitum patris extra Chriſtum: Calviniani aſſerunt beneplacitum eſſe extra Chriſtum, nempe in abſolutâ illius volūtate. Peccata fieri non volente Deo, ſcripturæ conſonum eſt: Peccata fieri volente, ordinante, impellente Deo, nec eſſe homini libertatem in peccatis notoriis cavendis, ſed omnia evenire ex neceſſitate fatali, ſicut motâ magnâ horologij rotâ cæteræ moventur, Calvinianis ſapidum eſt. Quomodo dicta quæ de baptiſmi virtute & effectu loquuntur accipiunt? Baptiſmus abluit peccata; Axioma eſt ſcripturæ. At inquiunt, non ita intelligendum eſt, q. baptiſmo abluerentur peccata; Ideo quando ſcriptura ita loquitur ajunt, intelliges quod baptiſmus ſit ſignum ablutionis peccatorum. Vide ſi placet explicationem Piſcatoris in Eph. 5. & Tit. 3. Mundat eccleſiam lavacro aquæ, i. e., inquit Piſcator, ſanguine ſuo in cruce effuſo, de quo teſtantur baptiſmus & Evangelium: Deus nos ſervat per lavacrum Regenerationis & Renovationis Spiritus ſancti; 1: inquit Piſcator per Regenerationem & renovationem Spiritus ſancti tanquam per lavacrum quoddam, quo ſcilicet abluimur à ſordibus peccati, cujus lavacri ſigillum eſt baptiſmus. Non poſuit nos Deus ad iram, inquit Paulus: Audis in- 1. Theſ. 5.

quit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*quit Beza, Ergo aliquos poſuit ad iram: planè ac ſi*
1. Pet. 1. *dicere vellem. Non redempti ſumus auro & argento, Ideo aliqui redempti ſunt auro & argento. Et quid multis? Piſcator ideò rejicit Eccleſiaſtici*
Piſcator contra Scaff. *librum, quia cap. 15. habetur,* DEO non eſt opus homine impio: *dicit n. hunc eſſe nævum illius libri, quod ſententiam iſtam contineat falſam.*

*Si acceſſerimꝰ ad verba cœnæ, miram ſcripturæ authoritatē videbimus. Chriſtus inquit,* Hoc eſt corpus meum, *Nonne idem Irenici affirmant? Quid igitur?* hoc eſt corpus meum, *ſtatim audies,* Hoc ſignificat corpus meum: *Ab aliis:* Hoc eſt figura vel ſignum corporis mei. *Ab aliis.* Hoc eſt pignus, ſigillum vel teſſera corporis mei. *Ab aliis,* Hoc eſt corpus i. e. panis eſt inſtrumentū offerens & exhibens, &c. *Digladiantur igitur inter ſe, in quam troporum claſſem relata velint verba teſtamentaria cœnæ. Alij pro Metaphora, alij pro Metonymiâ, alij pro ſynechdoche pugnant: Ita ergo q. vulpeculæ Samſonis caudis junctis, frontibus disjunctis ſegetes divinas conficiunt. Et quid aliud faciunt, quam quod mo-*
Svenco-feldius. *nuit Svenchfeldius, ſequeſtranda tantiſper eſſe verba cœnæ, donec conſtet aliundè quid de cœnâ quisq; ſentire velit?*

*Miror*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*Miror autem in tantâ troporum & figurarum fœcunditate, qui factum ſit quod miſeram Ironiam hoc honore indignam judicaverint, & eam q. exlegem fecerint.* Cur nemo ita explicuit? Hoc eſt corpus meum i.e. minime eſt corpus meum. *Sane mirum eſt eos pro reliquis tropis mordicus pugnare, ſui ſenſus tropum genuinum ſubticere: Cum tamen etiam Ironiam agnoſcant in reliquis Chriſti verbis, ut* Deus vult omnes ſalvos fieri, Venite ad me omnes i.e. minimè vult, minimè venite. *Agnoſcite voluntatem ſigni & beneplaciti. Et quid? nonne Ironiam in verbis* CHRISTI *tuentur qui ita explicant?* Hoc eſt corpus meum i. e. Eſtisne tam bardi ut exiſtimetis hoc corpus meum eſſe quod comeditur? quomodo fieri hoc poteſt? nonne corpus meum tantum diſtat à pane, quantum cœlum à terra! num vultis eſſe ἀνθρωπόφαγοι? Num Cyclopes, num Capernaitæ? num cerebrum in calcaneis habetis, qui neſciatis hoc impoſsibile eſſe, corpus meum eſſe in cœnâ, edi cum pane, ſanguinem bibi cum vino, qui dudum computruerit? *Ignoſce mi Chriſte referenti, non mea ſunt, neq; verbo, neq; cogitatione, nec erunt inquam. Taceo deteſtanda Bezæ verba, quæ apud Chemnitium leguntur. Quod ſi quis igitur in poſterum à me quærat, an Calviniani diſſentiant inter ſe, de ſenſu verborum cœnæ, Negabo & affirmabo eos belliſsimè convenire.*

K omnes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Conſenſus Calv.

# Omnes enim unanimiter ſtatuunt Ironiam eſſe.

*Magnas mihi debetis gratias Calviniani pro hac conciliatione, ne & vos Cadmæi fratres amplius audiatis.*

*Sed deſino, fortaſſe vos injuriâ afficio, qui tanti criminis, videlicet diſceßionis à ſcripturâ reos vos agam. Agnoſco n. eam ita vobis curæ cordiq́; eſſe, ut ne quidem monitoribus nocturnis ſcripturæ authoritatem commendantibus obſequi detrectetis. Quomodo enim à ſcripturâ diſcedunt, qui omnes ſuas petunt ex ſcriptura interpretationes, monente Petro. Audiamus igitur. In Germanico Heidelbergenſium ſcripto adverſus Tubingenſes: ita proceditur: Quæritur anne hæc propoſitio :* Hoc eſt corpus meum, *hunc ſecundũ ſcripturas intellectum habere poßit,* Hoc ſignificat corpus meum, vel hoc eſt ſignum corporis mei. *Quidni? inquiunt Heidelbergenſes: Nam ſcriptum eſt, ſeptem vaccæ ſunt ſeptem anni, Agnus eſt Paſca. Mundus eſt ager, ubi* eſt *pro* ſignificat *explicandum venit. Quid abſurdi ergo, ajunt, fecerimus, ſi ex ſcripturâ ſcripturam explicantes, dixerimus ſimiliter,* Hoc eſt corpus meum i. e. Hoc ſignificat corpus meum: vel hoc eſt ſignnm corporis mei. *Videtis auditores quam bellè ſcripturas amplectantur, ne diſſenſionis cauſa imputari ipſis poßit propter à ſcripturis diſceßionem. Quam vero reſponſionem meren-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

*merentur. Nullam ſanè aliam, quam quæ ſita eſt in ſimili argumento. Sim ego nunc novus Hæreticus, quia veteres non ſufficiunt, & ſicut ex Neſtorio natus eſt Eutyches, ita nunc ego ex Eutyche naſcar, ſed tantiſper talis ſim dum hæc narravero. Diſputo igitur tecum Calviniane ex hoc tuo principio, quod enim tibi indulgeri vis, mihi præripere non potes. Nego Chriſtum conſtare duabus Naturis, affirmo contra Eutychem, divinam converſam eſſe in humanam: Nonne enim fundamentum unionis naturarum habetis in hoc dicto, Verbum caro factum eſt? Quæro igitur abs te, Hæc propoſitio,* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *poteſtne hunc ſecundum ſcripturam habere ſenſum:* λογος *converſus eſt in carnem? Quidni dico? Nam lego,* ῥάβδος ἐγένετο ὄφις; *&,* ὕδωρ ἐγένετο οἶνος. *Ubi* ἐγένετο *verè ſignificat abolitionem prioris ſubſtantiæ, & ſucceſſionem alterius, ſeu transmutationem aquæ in vinum, non v. Unionem aquæ cum vino. Cur v. non licet mihi hac uti in hoc dicto calumniâ? Quid illi reſpondere velint, Auditores, neſcio; unum ſcio, hac ratione nihil certi, nihil ſolidi nobis relinqui, omnia concuti, labefactari, everti poſſe, quæ ad fidem Chriſtianam pertinent. Quid autem vos reſpondere velitis, puto ne non ignorare, nempe quemlibet articulum fidei, ſuâ certâ in ſacris ſede gaudere, ex quâ omnia de eo dogmata ſint depromenda; ab illâ ſede nequaquam diſcedendũ eſſe. Ubi enim licentia evagandi permittitur, & excur-* „

Conſentit orthodoxus conſenſus in præfat. pag. 4.

„ſio in peregrina & impertinentia loca, neceſſe eſt „accidens ſæpe accipi pro ſubſtantiâ, quid pro quo, id „quod paroemiographi dicũt, muſcerdam pro pipere. „Date hanc licentiam Pelagio, & aſſerite adverſus „illum puritatem articuli de peccato originali & li- „bero arbitrio. Date hanc licentiam pontificiis, ut „diſputaturi de Juſtificatione excurrant ad loca „de bonis operibus,& vindicate ab iis Juſtificationem „gratiæ. Si hoc eſt ſcripturâ uti,etiam Diabolus uſus „eſt ſcripturâ Matth. 4.

Ex his ſatis manifeſtum eſt, an poſſint eundem Deum,eundem Chriſtum, eundem baptiſmum, eandem nobiſcum habere fidem: Quod quia affirmant ſatis impudenter ad imponendum ſimpliciorib. porrò ante colophonem eſt diſpiciendum. Pauca ſufficiunt, Non enim de ignotis nequè apud ignorantes ſermo eſt.

Nobis ex ſcripturâ eſt baptiſmus unus, de quo
Johan.3. Chriſtus inquit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua
Epheſ.5. & ſpiritu; de quo Paulus, Mundat eccleſiam
Tit. 3. lavacro aquæ in verbo, &, Deus nos ſalvat per lavacrum Regenerationis ac Renovationis ſpiritus ſancti: Illis præter ſcripturam eſt baptiſmus ſola aqua; quo nemo hominum unquam regeneratur ac renovatur, qui nullum ſalvat: Nam qui eo baptizantur, aut jam ante ſunt Renati in utero materno, aut nunqam regenerantur, ſed baptiſmus iis

magis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

magis ad damnationem cedit, aut poſt baptiſmum demum alio tempore prout in abſoluto decreto fuit conſtitutum, regenerantur: Aqua n. id eſt, baptiſmus nihil poteſt præſtare.

Habentne eundem Deum? Si Deus verax & Deus Hypocrita, ſi Deus miſericors, & Deus crudelis, ſi Deus juſtus, odio habens iniquitatem, & Deus impellens ad iniquitatem, creans etiam ad peccata, ſi Deus omnipotens & Deus impotens, ſi porrigens lapidem & porrigens panem idem ſunt, etiam unus nobis Deus colitur:

Quid de Chriſto? Unus eſt Chriſtus inquit ſcriptura: & hoc nos ex illa credimus, unum eſſe Chriſtum in unitate perſonæ duabus conſtantem naturis, qui eſt æternus Dei filius, & in tempore homo factus, humanâ naturâ in unitatem divinæ perſonæ aſſumptâ, ita ut omnis plenitudo Deitatis habitet in aſſumptâ naturâ tanquam in proprio templo; qui Chriſtus factus eſt propiciatio pro peccatis totius mundi, mortuus etiam pro impiis qui ipſum negant, & conculcant ſanguinem teſtamenti quo ſanctificati ſunt, qui nos Deo reconciliavit in corpore ſuo, ut teſtatur ubiq; Paulus: Qui poſtquam factus eſt obediens patri ad mortem crucis, exaltatus eſt ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur non modo in hoc, ſed etiam in futuro ſeculo, ita ut omne



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

genu cœleſtium terreſtrium & ſubterreſtrium ei ſe flectat, & omnis lingua confiteatur eum, mortuum, inquam, & exaltatum, dominum eſſe in gloriâ patris ſui: coram quo, nempe agno occiſo & redimente nos Deo ſanguine ſuo, ſedente in medio throno procidunt quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores, & canunt canticum novum; quippe qui dominatur omni creaturæ, quia implet omnia, & accepit poteſtatem omnium (ipſe occiſus) in cœlo & in terra, quam habuit apud patrem Deum ante ſecula condita.

Adverſarij verbotenus unum agnoſcunt Christum, reipſa duos. Nam Chriſtus ipſis alius eſt θεάνθρωπος, alius nudus Deus. Homo enim & Deus tantum eſt in certo cœli loco, ſed Deus eſt in omnibus aliis locis. Unam igitur perſonam non concedunt niſi verbaliter, (ſicut & verbaliter Deum eſſe paſſum aſſerunt) qui infinitis locis divinam naturam extra humanam eſſe contra Paulum contendunt, qui humanam divinæ, q. Antverpiam Oceano, &c. unitam affirmant. Alium quam nos Chriſtum confitentur, qui eum mortuum eſſe pro paucis, non pro omnibus, non pro impiis contra ſcripturam dictitant, qui carnem ejus nihil prodeſſe blaſphemant, qui carni eius in unione cum λόγῳ omnia divina detrahunt quæ à ſcripturâ tribuuntur, qui duplicem Chriſto adorationē tribuunt, quā ignorat ſcriptura.

Imò

*Imò alium habent à nobis Chriſtum qui ita de eo docent, Quod ideo dicatur filius Dei, quia ex ſpiritu ſancto conceptus eſt, quod non ſit ex patris ſubſtantiâ ſeu eſſentiâ genitus, quod talis ſit Deus, cui ratione Deitatis in tempore ſit collata omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, & plurima alia, quæ latam Photinianis portam aperiunt.*

*Quomodo igitur unam fidem nobiſcum fovent? ſecundum ſcripturæ veritatem credimus nos; in corpore Jeſu Chriſti reconciliatis Deo, redemptionem nobis acquiſitam per ſanguinem ejus; carnem ipſius vere vivificam eſſe ratione cum meriti, tum applicationis: ideo & unâ adoratione eum adoramus, non geminâ: At Adverſarij proclamant nos ideo maledictos quia ponimus carnem ipſius brachium noſtrum, & confidimus in hoc homine. Fides noſtra eſt: non datum eſſe hominibus aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat eos ſalvos fieri, quam nomen* JESU CHRISTI: *Adverſarij, Numam, Herculem & ejusmodi in cœlis collocant. Sed neq; hic locus, neq; hoc tempus plura patitur: Jam enim ſatis veſtrâ abuſus ſum patientiâ, Leonem ex ungue æſtimate. Vera autem me dixiſſe qui ſcripta ipſorum legit, nemo inficias ibit.*

*Vela tandem contrahamus:* Adverſarij diſcedunt à ſcriptura;

*Id*

*Id manifeſtum eſt.* Scripturarum ignorantia errorum eſt fœcunda mater; *Id perſpicuum eſt:* Errores generant, nutriunt atque fovent omnes diſſenſiones, omnia ſchiſmata: *Nemo negat, niſi qui nivem albam negat.* Addite nunc vos ipſi Adverſarij ex præmiſsis concluſionem, & deſinite toti orbi veſtris inſidioſis imponere Irenicis. *Nolite negare ſolem in meridie lucere.* Non eſt vobis & nobis unus Deus, unus Chriſtus, unus baptiſmus, una fides, unus pater: *Quid igitur luci cum tenebris, aut tritico cum paleis. Audite igitur, & recipite quam poteſtis calidiſsimum in ſinum veſtrū, quod in nos eructare ſatagi-*

*agi-*

*agitur.* Vos eſtis qui perturbatis Iſraël, quia derelinquitis verum DEUM, & deficitis à mandatis ipſius. *Audite, Ne ſit pax vobis, quia non inceditis ſecundum eundem nobiſcum Canonem: Valeat igitur pax veſtra, ne trahamus jugum cum infidelibus. Maledicta enim ſit pax & concordia in quâ rumpitur veritas.*

*Quod ſupereſt, Auditores, Rogemus Pacem Jeroſolymæ noſtræ, cum Davide, ut tranquilli ſint qui diligunt eam, ſit tranquillitas in munitione ejus, ſalus intra mœnia ejus. Ut coram fratribus & vicinis noſtris loquamur cnm pace in eá. Propter Domum Domini Dei noſtri, quæramus commodum ejus.*

DIXI.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

In Lutherum *θαυματουργὸν* viri CL.

# Dn. M. Jani Dionyſii,

Metaphyſicæ in Academia Haffnienſi Profeſſoris publici, Collegæ cariſsimi.

*Stupenda Lutheri explicas miracula.*
*Facunditate tantâ & elegantiâ;*
*Ut, ordinis lucem atq; rerum uberrimam*
*Mirata copiam, corona doctior*
*Cordis vacivum & ſtipitem pronunciet*
*Cui non ſtupori tanta ſint miracula.*

Caſp. Eraſm. Brochmand.
S.S. Th. D. & P.P.

Erra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

# Errata ſic corrige.

A. *2.p.2.l.9.leg. Hieroſolymitanum.*
B. *1.l.3.leg.admittat.* B. *2.lin.ult.lege* magnanimo.
B. *3.p.2.lin.ult lege* Hilten.
D. *2.l.6. lege hic.* D. *3.l.12.leg.* Carere. *lin. 20. lege* Iconoclaſtico.
D. *4.p.2.l.3.leg* Columnæ. *F.3.p.2.l.1. leg.* adverſarij.

Deleta et Correcta.

Benevolus Lector reliqua typographo ignoſcet.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-511 4° 2073